



1. Antonij s. paulij diff. de
patro Lutheri Lutheri
Hale 1730.
2. _____ diff. de odio
penitentiali, Hale 1709.
3. _____ diff. de fide,
Hale 1728.
4. Baumgarten s. Georg. Jacq
diff. de gradibus peccatorum
Hale 1736.
5. _____ diff. de dicitis
Scripturae sacrae pro
cantibus, Hale. 1734

15 16
"005

ΥΠΟΤΥΠΩΣΙΣ
ΥΓΙΑΙΝΟΝΤΩΝ ΛΟΓΩΝ,
SIVE,

FORMA SANORVM VERBORVM,

Quam

DIVINA ADVENTE GRATIA

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGI-
CO, DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE, & reliqua,

PRAESIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE PRORECTORE

DN. IOACH. IVSTO BREITHAVPT,
S. THEOL. D. ET PROF. P. DVC. MAGDEB. GEN. SVPER-
INTENDENTE ET CONSILIAR. ECCLESIAST. COENOBII
MAGDEBURG. PRAEPOSITO, SACRORVM HILLERSLEB. ET SEMINARII
THEOL. DIRECTORE FACVLT. THEOL. h. r. DECANO,

DOMINO PATRONO ET PRAECEPTORE SVO PATRIS LOCO
AETERNVM VENERANDO,

Sobria τῶν συνθεολογῶντων disputationi publice sistet

D. XXIV. M. Augusti, Anno M DCC VII.

AVCTOR ET RESPONDENS

MATTHIAS BEL,

Otsouia Zoliensis Hungarus.

Denuo recusa M DCC XI.



FORMA SANO
RAM VERBORVM

DIVINA ADVENTVS GRATIA
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAJINGENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPALI
DN PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPIS HORSVARIAS ARCHIEPISCOPI
CO-PRINCIPIS

DE IURE
S. THEOLOGICAE
MAGISTER

DOMINO RICHARDO
SOLUS



VIRIS

MAX. REVERENDA DIGNITATE, PIETATE, DOCTRINA,
ET AVCTORITATE

AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,

Ecclesiae, apud Neosolienses Lutheranos Evangelicos,
Vtriusque, Germanorum & Sclavorum, Nationis,

PASTORIBVS,

Ac iisdem simul

VENERAB. CONTVB. ZOLIENSIS

DN.

CONSENIORI ET DVOBVS DECANIS,

Spectatissimis, Grauisissimis, Vigilantissimis:

VT ET

PER-ILLVSTREBVS, GENEROSISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,
AMPLISSIMIS, NOBILISSIMISQVE

DOMINIS,

Eiusdem, Vtriusque Nationis, Ecclesiae,

INSPECTORIBVS,

CVRATORIBVS, PATRONIS,

MVNIFICENTISSIMIS, GRAVISSIMIS.

PRVDENTISSIMIS &c.

DOMINIS

PATRIBVS, MAECENATIBVS,

ET STVDIORVM SVORVM PROMOTORIBVS,

EA, QVA PAR EST, PIETATE,

Aeternum Venerandis, Colendis, Obseruandis:

X²

GRA-

GRATIAM, MISERICORDIAM, PACEM,

A DEO AC PATRE
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

precatur

AUCTOR.

TRiennium fere est, gratia Dei, cum
partim Vestra, MAECENATES OPTIMI!
partim ALIORVM in Incluta Fridericiana,
liberalitate adiutus, diuiniore studiis ope-
ram nauare exorsus sum. Et mihi certe iucunda est,
quo-

quoties animum subit, subit vero quam sapissime, singularis VESTRAE illius, qua me a puero profecuti estis, beneuolentiæ recordatio. Seu enim educationem, quæ si dextera sit, vita potior est, seu studiorum quantulacunque incrementa æstimen; VESTRIS vtrumque illud curis, pro vtilitate publica numquam non excusantibus, in acceptis referre, gratus præcipit animus. Me namque puerum admodum, & vix rudiori tinctum litteratura, posteaquam Prens dulcissimus, *vñ in a-ytois*, ante hos XII annos in VESTRUM deduxisset Gymnasium; equidem non PRAECEPTORUM modo spectatam in erudiendo fidem, sed tempore procedente VESTRUM quoque, MYSTARUM & PATRONORUM, fauorem, plane mirificum, abundanter sum expertus. Possẽm hic, & merito quidem, testari vberioribus, quæ tum omnium, tum singulorum in me fuerint studia, cum mutato Patriæ solo, Germaniam, illam artium liberalium matrem, petere constituissem; nisi & VESTRA, qua estis, modestia, id renueret, & ipsa etiam suaderet pietas, accepta beneficia, magis deprecando apud Deum, quam laudibus quibusuis compensare. Ita enim, nec male, existimo, gratos iure dici, non qui chartas, immo aera ipsum, encomiis implere adsolent, vt fauorem hominum sibi vel concilient, vel conciliatum fulciant; quippe talis beneficiorum prædicatio, vt vanitatis multum, ita adulationis plurimum habet: sed eos, qui EVERGETARUM bene de se merita recolunt tantisper

memores, donec verecunda quædam, & extra adulationis posita suspicionem, grati animi accesserit significatio. Hi cancelli, hæc leges erant, MAECENATES! quæ beneficiorum apud animum memoriam, hucusque, silentio haud sterili, continebant. Ita nolui, tamquam intempestiue ac moleste gratus, notam adulationis mihi colligere: at vero nec potui diutius, quin suspicionem ingratae mentis declinarem. Ceterum ubi dispexissem solícite, gratiam Vobis, si non dignam, saltem non plane nullam, relaturus, nihil inveni, quod tantis melius conueniret nominibus, præterquam istam SANORVM VERBORVM ΠΡΟΤΥΠΩΣΙΝ. Munusculum est, si me, a quo id proficiscitur, aestimaueritis, tenue; verum, si argumenti habita fuerit ratio, tale, quod nec VOS accipere, sed nec me offerre, pudeat. Etenim, quid erat, quod a diuinarum studio litterarum, SACRO ORDINI, REIQVE ECCLESIASTICAE CVRATORIBVS, iure potiori offerri potuisset, quam exacta hæc, ac diuini Verbi canonem, limpidiore Theologiæ forma? Quem admodum enim VESTRI esse officii haud dubitatis, puriorem doctrinam, non solum a corruptelis omnibus in sinu quasi alere intemeratam, sed providere etiam, ne vera pietas, quæ germana orthodoxiæ est soboles, vlllo vnquam modo sufflaminetur; ita mearum partium duco, tum cælestis veritatis semper esse studiosissimum, tum testari quoque, hac in primis tempestate, *παρρησιασιν*, nihil mihi prius, ex quo in Academia

demia peregre ago, nihil antiquius fuisse, quam ut animum doctrina, quæ ab omni errorum admixtione esset pura, bene subigerem. Accipite ergo, MAECENATES! hanc & VESTRO, & meo quodam iure, ita dicatam VOBIS animi deuoti tesseram, ac persuasi estote, vbicunque terrarum vixero, operam me, diuina iuuante gratia, daturum, vt intelligatis olim, beneficia VESTRA non prorsus male in me esse cumulata. Agite interea, piæ illius, qua me fouistis, magnificentiae fructus, in Musarum alumnos ita porro sese diffundant, vt constet liquido, vos esse, quibus & hac temporis difficultate, cura de melioribus litteris inter primas numeretur. Hoc Religio, hactenus multis modis adfecta, hoc adfecta Patria, hoc ingenia,

QVORVM VIRTVTIBVS OBSTAT

RES ANGVSTA DOMI,
a VOBIS expectant, petunt, efflagitant. Iniucundam, immo in vitio positam, ducatis, illam rei amplioris possessionem, in cuius consortium diuiniore Musæ admiffæ non fuerint. Equidem dubito, vltos vniquam vtilitati publicæ melius consulere atque efficacius, quam qui ad formanda alendaque ingenia, omnem, aut operam, aut sumtus conferunt. Maior quippe vis est litterarum, quam vulgus existimat. Certe studia sunt, quæ Ecclesiam ornant, Rempublicam fulciunt, augent, conseruant. Verum enim vero, de industria cesso, animum & benevolentiam VESTRAM, non iam mihi, sed Musis exorare amplius. Cur enim dubi-

dubitem, VIROS, quibus vel dignitatem ipsam, vel dignitati ornamentum adtulit eruditio, in meliores literas, & eas quidem cum primis, quæ circa diuina occupantur, semper fore propensissimos. Vota nimirum supersunt. VOS ergo, PATRES VENERANDI, PATRONI MAXIMI, & rem Vestram, magno Ecclesiæ, Reique publicæ commodo, tueatur DEVS, quam diutissime! A VOBIS, immo vniuersa Gente nostra, tot belli fessâ difficultatibus, clades & infortunia, omnemque calamitatem, depellat clementissime; vt de VOBIS, paci tandem perpetuæ, ac libertati pristinæ, quod mecum boni omnes percipiunt, adsertis, occinatur inter Gentes: * IEHOVAH ILLIS MAGNA PRAESTITIT. ITA FIAT! ITA precari numquam desinet VESTER. Valete IN DOMINO! Scrib. Halæ Magdeburgicæ in incluta Academia Fridericiana ex Museo. Anno M DCC VII. Prid. Idus Aug.

* *Psal. CXXXVI. 2.*





Εν τῷ ὀνόματι Κυρίου!

CONSEPTIVS DISSERTATIONIS.

Aphorismus I. De Theologia, eiusque indole. Aph. II. De Religione Christiana. Aph. III. De Verbo Dei, tamquam unico Theologiae principio. Aph. IV. De Notitia Dei naturali, & huius ad salutem insufficientia. Aph. V. De Notitia Triunitus Dei reuelata. Aph. VI. De Creatione. Aph. VII. De Providentia. Aph. VIII. De Prædestinatione. Aph. IX. De imagine Dei homini creata. Aph. X. De Lapsu; Causa peccati; Malis ex lapsu orientibus; Peccato item originali & actuali; Induratione, & peccato in Spiritum Sanctum. Aph. XI. De Libero Arbitrio. Aph. XII. De Christi, tamquam salutis nostræ Instauratoris, Persona & officio. Aph. XIII. De gratia Dei applicatrice, & huius dein actibus. Aph. XIV. De Vocatione. Aph. XV. De Illuminatione. Aph. XVI. De Regeneratione. Aph. XVII. De Pœnitentia, seu Conversione. Aph. XVIII. De Iustificacione, eiusque demum fructibus. Aph. XIX. De Libertate Spiritus, seu Christiana. Aph. XX. De Adoptione, Pace & Gaudio in Spiritu S. Aph. XXI. De Vultione & obsequatione. Aph. XXII. De Vnionem cum Christo mystica. Aph. XXIII. De Renouatione. Aph. XXIV. De Ronis operibus. Aph. XXV. De Lege & Evangelio. Aph. XXVI. De Baptismo & Cœna Domini. Aph. XXVII. De Ecclesia. Aph. XXVIII. De Statibus Hierarchicis. Aph. XXIX. De Nouissimis. Denique Conclusio.

APHORISMVS I.



Theologia, quemadmodum vi vocis sermo est, a DEO, de DEO, ad DEVM, diuinus; ita habitus est mere practicus,

De Theologia, eiusque indole.

Rom. 3, 2.

1. Petr. 4, 11.

1. Thess. 2, 13. &c.

A

diuina

diuina haustus reuelatione, sacris litteris comprehensa, qui hominem summe miserum sufficiente & efficaci doctrina ad salutem vitamque æternam reducit.

Mere practicam dici Theologiam, monemus cum B. Calouio, Ifag. c. X. p. m. 249. col. p. 203. & 217. non, quod medium eiusdem (causale) sit, hominem perducendi ad salutem, praxis & studium bonorum operum, (quippe quod, tamquam via, demum sequitur salutem, quatenus hæc per fidem inchoate constituta fuerit) sed ob fidei praxin, qua sola ad æternam salutem aspiramus. Hinc & B. Baierus Compend. Theol. Pos. Proleg. c. I. §. XIX. p. m. 37. col. 39. recte finem formalem intermedium Theologiæ constituit, fidem in Christum, tamquam causam impetrandæ gratiæ apud Deum. Quo deinde (consequens) pertineat amor Dei, tamquam nobis reconciliati: Immo & actus alii, quibus diuinæ bonitatis participes reddimur: ac suo modo tota vitæ sanctimonia. Quibus præmissis, qualis apud impios, *fidei praxi atque sanctimonia destitutos*, eatenus sit Theologia, facile est ad colligendum. Quocirca, acquiescimus in eo, quod modo laudatus D. Baierus ibid. p. 66. definit, vna cum Musæo Introd. c. III §. XLII. XLIII. p. 189. sqq. Egregie Lutherus Theologum illum demum adfirmat, qui habitum Theologiæ, *orationis, meditationis, tentationis seruis exercitiis* sibi comparauerit. Tom. I. Alt. f. 6. b. 7. a. Conf. B. Gerhardum de Meth. Stud. Theol. c. I. II. III. & adiecta sub finem coronide, de tentatione. Item B. Hülsemannum de Meth. Stud. Theol. Et citatæ Ifag. Calouianæ Lib. II. Pæd. Theol. vbi ille fuse agit de Oratione, Meditatione, Tentatione, ceu requisitis, cuiuslibet ad solidam Theologiæ *æxi* aspiranti, prorsus necessariis.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

B. Danhæuerus descript. Hæresiosophias, p. 10. D. Io. Olearius Vniuersæ Theol. Traç. Procem. p. 2. seqq. D. Calouius Theol. Pos. Proleg. c. I. p. 1. seqq. &c.

APHORISMVS II.

*De Religione
Christiana.*

Religio, vt nomen a religando accepit; ita Christi-

Christiana, quæ sola vera, est ratio colendi Deum, fide in Christum & caritate erga Deum & proximum, secundum verbum scriptum, vt homo, a uulso a Deo, eidem reduniatur. Hinc etiam multum omnino interest, immo vnice est necessarium, tum veram hanc profiteri Religionem, tum sub ipsius Christianæ nomine non ad ea delabi, quibus eiusdem veritas corrumpi possit.

Deut. 6, 29. c.
10, 20. Matthe.
4, 10. &c.

Libri Ecclesiæ nostræ Lutheranæ Symbolici, non nouæ cuiusdam, sed enim antiquæ Prophetico-Apostolicæ Religionis declarationem complectuntur atque professionem. Vnde patet, non eos obtinere auctoritatem iudicis; hæc enim dignitas solis sacris litteris debetur: sed duntaxat pro religione nostrâ testimonium dicere, eamque explicare ac ostendere, quomodo singulis temporibus sacre litteræ in articulis controuersis in Ecclesia Dei a Doctoribus, qui tum vixerunt, intellectæ & explicatæ fuerint, & quibus rationibus dogmata cum Scriptura S. pugnantia reiecta & condemnata sint. Ita Lib. Symbb. p. 572. col. p. 635. Cum ergo in iis vnam & communem Ecclesiarum nostrarum piam sententiam contineri, merito semper sit iudicatum, auctoritas eorum, neque eleuanda, neque contemnenda, verum ea, vti testium veritatis verbo diuino nitentium, & magno Ecclesiæ consensu receptorum, a quoru Ecclesiæ Lutheranæ-Euangelicæ membro, acceptanda omnino est. Vid. Libb. Symbb. p. 636. & Hutteri Comp. L. I. qu. 10. seqq. Neque igitur locum habent: Libertinismus, Indifferentismus, Separatismus, Syncretismus &c.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

E. Königius Theol. Prof. Præcog. c. 1. §. 58. seqq. D. Calouius Theol. Prof. Proleg. c. 2. Th. 1. seqq. p. 8. seqq. Idem II sag. c. XII p. m. 275. seqq. &c.

APHORISMVS III.

Vnicum Theologiæ principium reuelatio diuina est, seu verbum Dei, monumentis Prophetico Theologia principio.

2 Tim. 3, 16.
2 Pet. I, 19, 20, 21.
Act. 2, 4. Rom.
15, 18. 1 Cor. 2,
13. Pl. 119, 105.
Rom. 1, 16. Jac.
2, 22. &c.

phetarum veteris, Euangelistarum & Apostolorum noui Testamenti canonicis, ex inspiratione Spiritus S. comprehensum, quod non tantum perfectum, perspicuum & verissimum est; sed etiam ad producendos motus supernaturales ita efficax, ut hominem lapsum ad agnitionem veritatis, ipsamque adeo salutem æternam perducere queat.

Verbum Dei efficax esse, in suo debito usu, auditionis, meditationis, prædicationis, constitutum, monet Danhauerus Hodosoph. Phan. I. p. 93. conspirantibus Balduino, in Epist. I. ad Theff. c. I. qu. I. Brentio, in Confess. Wirtenberg. c. de Euang. p. 407. Chemnitio, in Harm. Euang. c. 61. p. 1097. At enim vero tantum abest, ut his infitam Verbo Dei efficaciam, quippe quod teste Lutero Tom. IV. Ien. lat. fol. 530. b. *inseparabilem comitem Spiritum S. habet*, vel detrahamus ipsi, vel idem Danhauero aliisque adstringamus; ut potius cum D. Calouio adserere nihil dubitemus, Verbum Dei virtute diuina *intrinsicè* ita animatum esse, ut non opus sit, ut extrinsicè demum eleuetur ad actus spirituales perficiendos, quando actu ipso homo conuertendus est. Calouius Theol. Pos. Proleg. c. III. §. 83. p. 29. ex Ioh. VI. 63. Rom. I. 16. Ebr. IV. 12. Iac. I. 22. 1. Petr. I. 23. Quod B. Musæus Introd. P. II. c. V. §. VI. p. 561. & §. VII. p. 571. ita docet: vim diuinam communicari Scripturæ, non demum in usu, per nudam *παράστασιν* & externam adstantiam, ita ut *in se* & extra usum spectata vi illuminandi conuertendique hominum animos destituta, inefficax & littera mortua sit: sed scripturam *in se* semper efficacem esse, & vi illuminandi conuertendique hominum animos pollere, siue ea in usu, siue *in se* extra usum spectetur. Placent præterea, quæ D. Baierus in Comp. Proleg. c. II. p. m. 156. scribit: non solum renatos & fideles, verum etiam irrogenitos & impios, vi ipsius claritatis verborum ex instituto significantium, quæ ad omnes lectores æqualiter sese habet, assequi posse *noitiam* sensus per verba significati,
liue-

litteralem quidem seu historicum; non autem salutarem seu fidei, quam diu hi tales perseverent. Conf. ibid. citati.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. p. 570. seqq. p. 632. & passim. B. Brochmandus System. Theol. Art. de Script. S. c. I. seqq. D. Olealius Vniu. Theol. Art. De Verbo Dei. p. 206. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theolog. Loco IV. c. II. p. 443. Idem Thef. Cred. & Agend. Lib. IV. c. II. Th. I. p. 229.

APHORISMVS IV.

Notitia Dei alia naturalis est, eaque partim in-
 sita, partim acquisita; alia reuelata: illa ex na-
 turæ; hæc ex gratiæ lumine. Tametsi autem ho-
 mo ex propriæ stimulo conscientiæ, mundi que o-
 pificio amplissimo, & quæ huic insunt, omnibus,
 conuinci omnino potest, quod sit Deus, idemque
 iustus, misericors; quid tamen de illo credendum,
 ratione ipsius Personarum & voluntatis habita, ex
 naturæ lumine assequi haud valet; multo minus
 ad salutem perduci. Igitur notitia naturalis non
 tantum imperfecta & languida, sed etiam nullo
 modo sufficiens est, & proinde euitabilis penes
 saluandos reuelatæ notitiæ necessitas.

Nulla omnino prorsus est notitia naturalis, quoad super-
 naturalia Dei mysteria; quæ homini sibi relicto, *mera sunt*
stultitia, adeo, vt ea intelligere non possit. 1. Cor. II. 14. Rom.
 VIII. 6. 1. Cor. II. 7. Calou. Theol. Pos. P. I. c. I. Th. IV. §. 153.
 p. 50. Pie vero obseruat B. Chemnitius LL. Th. P. I. c. I.
 n. VI. p. m. 21. (1) Mentem confirmandam ex verbo Dei & il-
 lustribus testimoniis, in quibus se Deus humano generi pec-
 culariter patefecit: *postea* vtiliter posse addi consideratio-
 nem *philosophicarum demonstrationum*. (2) Notitiam naturalem
 debere subordinari diuini reuelationi in verbo: ita, vt, sicu-

*De Notitia Dei
 naturali, & hu-
 ius ad salutem
 insufficientia.*

A&. 17, 27.
 28. it. 25, 26.
 Rom. 1. 19. &
 20. it. v. 28 25.
 2 Tim. 3, 7. &c

bi dissentiat vel pugnet, cedat naturalis divinæ &c. (3) Colli-
gi ex illa quasi scintilla tantum notitiæ, quæ reliqua est in-
natura, quam illustris fuisset notitia in integra natura, quam
firmus assensus, quam obsequens obedientia conformis notiti-
æ. Et in quantum labefactata, immo pene extincta sint
hæc omnia, in hac depravatione non melius posse confide-
rari, quam in his vestigiis, (*naturalibus*) *quæ etiam propter hanc*
causam Deus esse voluit reliqua.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

B. Chemnitius L. C. D. Calovius Theol. Pos. P. I. c. I. Theol. I. seqq. p. 45. seqq.
Konigius Theol. Pos. P. I. §. 4. seqq. p. 22. seqq. D. Breithaupt Instit. The-
ol. I. I. c. I. §. I. II. III. p. 1. seqq. Idem Theol. Cred. & Agend. L. I. c. I. Th.
II. p. 2. seqq.

APHORISMVS V.

*De notitia Tri-
unitus Dei reu-
lata.*

Ioh. 4, 24.
1 Tim. 6, 6.
Deut. 6, 4.
Matth. 28, 19.
1 Ioh. 5, 7. Gen.
1, 26. c. 3, 22.
Esa. 6, 2. Pf. 2,
7. Ioh. 1, 2. 18.
&c. c. 14, 26. c.
16, 13. 14. 15. &c.

EX reuelatione autem per verbum facta, disci-
mus & credimus, quod Deus ille sit אלהים אחד
spiritus simplicissimus, infinitus. Vnus in Essen-
tia, Trinus in Personis; Pater, qui est ΑΓΕΝΝΗΤΟΣ ;
Filius, qui ab æterno generatur a Patre; Spiritus
S. qui a Patre & Filio spiratur modo ineffabili. Pro-
fundissimum vero mysterium istud patefactum est
eatenus, quatenus ad reparandam in nobis per
Christum imaginem Dei, ipsamque salutem æter-
nam nobis impertiendam, est necessarium.

Pulcherrime Christus in colloquio cum Samaritide,
Ioh. IV. colligit, ab Essentia Dei spirituali, ad cultum
Deo in Spiritu & veritate præstandum, dum inquit: *Deus est*
Spiritus, &, qui adorant eum, oportet, ut πνεύματι & ἀληθείᾳ, Spiritu
& veritate adorent. A qua religionis & veri Dei cultus in-
dole, si alieni sint Christiani, ipsis certe haud meliores sunt
Ethnicis; quippe qui *nature stimulo* ac *propria dictamine con-*
scientiæ, tale quid Deo se debere, apud, animum sentiunt,
quemadmodum Cato ille cesinit;

DE CREATIONE.

*Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt:
Hic tibi precipue pura sit mente colendus.*

Immo ne vnitatis quidem Essentia diuina agnitionem, otiosam apud nos esse debere, satis innuit Paulus, Eph. IV, 4. 5. 6. col. Ioh. XVII, 21. 22. 23. Cuiusmodi vsum practicum, circa attributa Dei reliqua, pio lectori in facie Domini nostri Iesu Christi meditandum relinquimus.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. præter Symbola A. C. præmissa p. 1. 2. 3. Art. I. p. 9. Apolog. A. C. p. 50. Artic. Smalc. p. 303. seqq. Catech. Mai. p. 400. B. Chemnitius LL. Th. P. I. L. De Deo c. II. p. m. 23. D. Kromayerus Theol. Pos. Pol. Art. II. De Trin. D. p. 97. & D. Breithaupt Instit. Theol. L. I. c. II. p. 12. seqq. Id. Theol. Cred. & Agend. Lib. IV. c. I. Th. II. p. 197.

APHORISMVS VI.

VNUS ille Deus, יהוה אלהים natura inuisibilis, De Creatione.
vt a visibilibus sciri posset *, ex nihilo hoc vniuersum, & quæ ei insunt, omnia, * Ambros. in G. I. Rom. ἐργα ἐξ ἀνύστατου Gen. I. Ioh 1, 1. Pl. 33. 6. Pl. 104. 4. & 103. 20. 21. Ef. 6, 3. Hebr. I. 14. &c. Creatis autem rebus vniuersis, ipsum denique formauit hominem, propter quem creauerat omnia; quin & ipsos angelos, natura longe digniores, suæ gloriæ & humani generis saluti, inferuire voluit.

Moses Angelorum creationem tacet, non quod creaturarum censu eos eximeret, sed quod propositum sibi haberet, enarrare והארץ והשמים תלרווהו adeoque substantiarum visibilium, non inuisibilium. Conditi autem sunt Angeli perfecte boni; sed enim magna eorum pars, per lapsum voluntarium, perfecta illa bonitate exciderunt. Hinc iam Angeli, alii boni, alii mali: illi in bono ita firmati, vt labi amplius non possint: hi ad poenas æternum duraturas, sine vlla futura liberationis spe, damnati, cruciatibus adseruantur maioribus. Ceteroquin, præclare articulum creationis Psaltes ad cultum transfert creatori præstandum, Psal. XCV. 6. 7. *Agite vero! prosterneamur, incurui procubamus, genua submittamus ante conspectum Domini, sceleris*

Horis nostri. Nam ipse Deus noster, nos vero populus pascuorum eius, & grex manus eius.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. I. Artic. Smalc. p. 303. Catech. Min. p. 370. Catech. Mai. p. 489. feqq. B. Lutherus Tom. VIII. fol. 164. 165. & de *ἡγία ἔσχατος* Tom. VI. fol. 3. B. Chemnitius LL. Th. Part. I. L. IV. p. m. 104. feqq. B. Gerhartus. LL. CC. Tom. II. p. 1. feqq. &c. Doct. Breithaupt Instit. Theol. L. I. c. III. p. 53. feqq. Idem, Thes. Cred. & Agend. Lib. IV. c. I. Th. III. 295. feqq.

APHORISMVS VII.

De Providentia.

Act. 17, 28.
Ioh. 5, 17. Heb. 1, 3. Pf. 139, 7.
Act. 15, 18.
Matth. 6, 32. & 22. c. 10, 29. 30. feqq. 1 Tim. 4, 10. Esa. 47, 15. Heb. 1, 14. &c. Pf. 135, 6. 7. & 148, 6. 8. it. 74, 15, 16. 17. Exod. 14. Ios. 10. 13. 2 Reg. 20, 11 &c.

ITa conditam a se vniuersi huius machinam Deus haud deseruit, sed enim conseruat eam & gubernat, sapientissime, potentissime; quæ actio Dei latine Prouidentia, græce *πρόνοια* dicitur, tres in se actus complectens, *πρόγνωσιν*, *πρόθεσιν* & *δίοικησιν*: illo, tamquam in perpetuo *ᾧν*, Deus intuetur omnia; isto prospicere vult omnibus; hoc, res omnes, maxime vero humanum genus, & quæ ex eo colligitur, Ecclesiam, conseruat gubernatque: ita, vt in iis institutum quidem naturæ ordinem obseruet, atq; cum creaturis concurrat; at vero id non ex necessitate, sed liberrima sua voluntate, quippe qui præter & contra causas secundas, agere possit, immo quandoque agat.

Deus vitam & actiones humanas respicit, si bonæ sint, præcipiendo, iuuando, approbando; si malæ, permittendo, metas præfigendo, & bonum ex illis eliciendo. Fatum Christianorum est *Providentia diuina*, cui sano sensu casus omnes, fortuitaque omnia, merito adscribimus. Vsum Prouidentia diuinæ ipse Christus docet Matth. VI. 25. feqq. c. X. 26. feqq. & Pfalter regius Psal. XXXVII. toto. Ergo cum B. Gerhardo LL. CC. T. II. De Prou. c. XV. p. m. 40. ex Augustini Libr. III. Conf. c. II. grati exclaimemus: *Tibi o bone Omnipotens, qui ita curas*

curas unumquemque nostrum, tamquam solum curares, & ita uniuersos, ut singulos, sit laus, honor & gratiarum actio in æternum. Amen.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. locis supra citatis. B. Gerhardus LL. CC. T. II. De Prou. D. Danhauerus Hodof. Phæn. III. p. 300. seqq. D. Olcarius Vniu. Th. Art. XXIII. p. 410. seqq. &c. D. Breithaupt Inst. Theol. L. I. c. III. §. V. p. 61. Idem Thef. Cred. & Agend. Lib. IV. c. I. Thef. III. qu. 7. p. 209.

APHORISMVS VIII.

Quemadmodum vero creationem totius uniuersi Deus ab æterno decreuerat; ita creatum in Adamo genus humanum, ut lapsurum præuidit, restaurandum etiam per Christum statuit, atque ab æterno ad vitam æternam ordinavit. Idque non absoluto quodam, sed respectivo decreto, ex immensa nimirum misericordia in Christo, iuxta propositum & præscientiam suam, ut omnes ac singuli, qui efficaci Spiritus S. per verbum virtute, finaliter in Christo essent credituri, vitæ æternæ fierent heredes. Neque reprobavit alios, quam quos uniuersalem, per Christum parandam, atque a Spiritu S. per vocationem mediante verbo, offerendam omnibus gratiam, sua ipsorum culpa morose repudiaturos præuidit. Sic ergo, nec quidquam causæ hominum meritis, si electi saluentur, nec quidquam culpæ Dei decreto, si damnentur reprobat, adscribendum est.

Obseruamus cum B. Luthero ex Præf. germ. super Epist. ad Rom. §. ad Cap. IX. male suæ consulere saluti, qui actibus gratiæ sanctificantis posthabitis, ad scrutandam circa hunc articulum diuinæ sapientiæ abyssum sagaces properant. His

B

enim

De Prædestinatione.

Eph. I. 4.
2. Theff. 2, 13.
2. Tim. I. 9.
Rom. 8, 28, 29.
30. Act. 15, 18.
1. Tim. 2, 4.
Rom. 8, 17.
Ezech. 33, 11.
Ioh. 3, 18, 19, 39
Marc. 16, 16. &c

enim facile est, desperationis absorberi fluctibus. Quapropter suadet Megalander, vt de Epistolæ nexu viuidius primum apud nos applicando, de ipsa videlicet ad ductum capp. I. II. III. IV. V. VI. VII. *seria peccatorum per gratiam Dei agnitione, Iustificatione per fidem, lucta contra peccata, fimus solliciti; & tum demum, vbi in cap. VIII. cruce & passionibus bene subacti fuerimus, eo planius placidiusque nos edoctum iri affirmat, quid cap. IX. X. XI. ipsa sit Electio atque Reprobatio.* Quæ scala, si quis de sui Electione certior fieri voluerit, presso omnino pede est scandenda: nec quisquam alius, nisi qui hos gratiæ sanctificantis actus intra se expertus fuerit, ad iudicandum de Electione haberi potest satis idoneus. Igitur, Fratres! *studeamus (eo ordine) vocationem & electionem nostram firmam efficere: hæc enim si fecerimus, numquam impingemus.* 2. Petr. I. 10.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. Epit. 617. vsque ad p. 622. Declarat. p. 797. vsque ad p. 823. B. Gerhardus LL. CC. T. II. p. m. 41. seqq. Brochmandus System. Art. XIV. p. m. 248. seqq. Olearius Vniuer. Th. Art. CX. p. 881. seqq. & Art. CXI. p. 893. seqq. Dietericus Instit. Catech. De Elect. p. m. 597. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. III. c. II. §. VII. p. 354. seqq. Id. Theol. Cred. & Agend. Lib. III. c. II. Th. III. p. 156. seqq.

APHORISMVS IX.

De Imagine
Dei.

Gen. 1, 27.
e. 2, 18. 23. Col.
3, 10. Eph 4,
24. Gen. 2, 25.
1 Theff. 5, 23.
Gen. 2, 17.
Rom. 5, 12.
1 Tim. 1, 17. c.
6, 16. Gen. 1, 26.

CREAUIT ergo DEVS hominem ad imaginem sui, quæ in perfecta Sapientia, Iustitia, Sanctitate, consistebat, perfectionibus item vitæ animalis, facultatemq; omnium harmonia rebellionis ignara, corporis immortalitate & dominio in creaturas. Neque imago hæc substantia ipsa erat hominis, sed nec supernaturale quodam & externum modo ornamentum, verum concreatum atque insitum decus; adeo, vt propagata omnino fuisset ad posteros, generationis naturalis beneficio, ni homo debiti erga Deum obsequii immemor,

mor, peccato auscultasset. Finis concreatae huius integritatis erat, tum fruitio Dei in tempore, tum aeterna & caelestis beatitudo, in quam homo sine mortis interuentu fuisset prouehendus; nec non gloriae diuinæ manifestatio.

Imaginem hanc Dei, ineuitabili penes saluandos necessitate (quæ tamen ex parte hominum, *ordinis est, non meriti*), per Christum aeternam Patris imaginem, vere instaurandam, itidem in iustitia & sanctitate veritatis consistere debere, Paulus perdocet, Eph. IV. 24. col. Ioh. III. 3. seqq. Vsum Loci de Imagine Dei B. Gerhardus LL. CC. Tom. II. de I. D. c. X. p. 121. triplicem bene asserit; siquidem attentata eius consideratio ducit nos: 1. *Ad agnitionem bonitatis diuinæ*, cui acceptum referendum, quod nos ad imaginem suam in Adamo condiderit, iamque amissum hoc bonum per Christum in nobis reparare incipiat, in vita aeterna opus illud consummaturus. 2. *Ad agnitionem miserie nostræ*, cum ex tanto dignitatis gradu velut e caelo delapsi, ex iis parentibus nascamur, *qui prius nos faciunt damnatos, quam natos*. Bernh. in med. c. II. col. 1190. Quam in rem, pulchre transfert lacrymas populi Israel super templo Zorobabelis, quod templi prioris dignitati non responderet. Efd. III. 12. 3. *Ad fulcimentum spei nostræ*, cum dies extremus, tempus omnino futurum sit *τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων*. Ad. III. 21. Tum enim, vti exemplum secundum Hierosolymitanum ex ruderibus excitatum, aduentu Christi priore gloriosius redditum fuit; ita imago etiam illa Dei, per Christum in nobis instaurari cæpta, lucidius multo & gloriosius in nobis, quam in Adamo, fulgebit: ille namque poterat non mori, nos, tandem resuscitati, non poterimus mori. En stimulum, ad imaginem Dei, eo maiori in nobis fidelitate instaurandam! Col. III. 3. 4.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. Apolog. A. C. p. 54. & p. 643. lin. 23. B. Lutherus Tom. IV. f. 13. super c. I. Gen. B. Gerhardus Tom. II. de I. D. c. I. seqq. p. 93. seqq. Brochmandus Syst. Artic. IX. Sect. V. p. m. 113. Danhauserus Hodosoph. Phæa.

Phan. V. p. 419. qui & Lutherum de tribus animæ proprietatibus differentem, citat. Königius Theol. Pof. P. II. p. 70. feqq. D. Breithaupt. In-
stit. Theol. L. II. c. I. p. 88. feqq. Idem Thef. Cred. & Agend. L. I. c. II.
feqq. Th. I. feqq. p. 21. feqq.

APHORISMVS X.

De Lapſu;

Cauſſa peccati;

Malis ex Lapſu

orientibus;

Peccato item origi-

nali & actuali;

Induratione, &

Peccato in Spi-

ritum Sanctum.

Gen. 3. 2 Cor.

11, 2. 3. Rom. 5,

12. 14. ſq. 1 Tim.

2, 14. Ioh. 8, 44.

Gen. 2, 17. Rom

6, 6 c. 7, 17. 1^o

& 20. Heb. 12,

8. Gen 5, 3.

Marc. 7, 21.

feqq. Rom. 6,

22. & c. 8, 11. 1

Ioh. 1, 8. Rom.

6, 6. 12. 14. c.

7, 14. Pf 19, 13

14. Gal. 5, 19.

feqq. Act 13.

45. 46. Heb. 6,

4. feqq. c. 10,

26. feqq. col.

Matth. 12, 31, 32.

Sed enim vero in concreata hac integritate ho-
mo non perſtitit, verum aſtutia Satanae, & pro-
priae abuſu libertatis, qui in infidelitate erga De-
um, & amore ſui inordinato, ipſaque adeo legis
diuinæ transgreſſione, conſiſtebat, triftiſſime la-
pſus eſt. Certe enim Deus, qualem condidit,
talem perpetuo eſſe voluit hominem, ac proinde
ei ad lapſum cauſſa, neque phyſica, neque mora-
lis exiſtit. Sic ergo amiſſa integritate, corpus
peccati, cum poena legi paradifiacæ adnexa, illi-
co ſuccesſit; quod naturam hominis profundiffi-
me omnino corruptit, haud tamen factum eſt ipſa
hominis ſubſtantia. Peccante autem ita Adamo,
non vt priuato quodam homine, ſed foederali to-
tius generis humani capite, participatiue pecca-
vimus omnes; peccatique ipſius labes, & culpa &
reatu conſtans, in nos propagata eſt, ceu fons,
origo & radix, actualium peccatorum omnium:
quæ, ſublato per Iuſtificationem reatu, in ipſa dein
Sanctificatione, collatis gratiæ diuinæ viribus,
quamvis ita hebetetur & retundatur, vt homini
dominari nequeat; manet tamen verè peccatum,
ſemperque adhæret homini ac propullulare niti-
tur.

tur. hinc si præter voluntatem, ex ignorantia, imbecillitate vel præcipitania fiat apud renatos peccatum, quod gratia Dei reprimatur, veniale est; sin ex destinata voluntate dominatum obtineat, mortale est: idem ipsum, accedente DEI & mediorum salutis contemptu malitioso, induratio sequitur iustissima. Huc & peccatum in Spiritum S. referimus, sed ita, vt antegressam veram illuminationem, & spontaneam ac finalem veritatis cælestis abnegationem supponat; id quod irremissibile est.

Debita lapsus & peccati originalis & actualis consideratio, non utilis tantum, sed summe etiam est necessaria. *Beneſicia enim Christi, non poterunt intelligi, nisi intelligamus mala nostra.* Apol. A. C. p. 59. l. 10. Prodest adhæc (pie obseruante B. Chemnitio LL. Th. P. I. p. m. 240. col. b.) ne Christiani securi fiant, sed vt intelligant, militiam vitæ suæ rem esse omnium difficillimam, vtpote in qua cum tot bestiis in propria sua carne latitantibus sit depugnandum. Vnusquisque ergo verorum Christianorum vna cum Paulo I. Cor. IX, 27. proprium suum corpus contundat, & in seruitutem redigat, ne reprobus fiat; quod quidem precibus per Christum assequi obtineri a Patre cælesti posse, B. Vir simul tradit. *Legge eandem in rem Gerhardum LL. CC. Tom. II. de Pec. Or. c. X. p. m. 156. & de Pec. Act. c. XXV. p. m. 203.*

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. II. p. 9. 10. & Art. XIX. p. 15. Apol. A. C. p. 50. seqq. Epit. p. 572. seqq. Declar. p. 639. Artic. Smalc. p. 317. &c. B. Lutherus, Tom. IV. f. 556. & passim. B. Chemnitius LL. Th. P. I. L. V. p. m. 131. seqq. & L. VII. p. m. 196. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. II. c. II. p. 116. & c. III. §. I. II. p. 165. seqq. Id. Theol. Cred. & Agend. L. I. c. III. p. 39. L. II. c. I. p. 52. seqq. c. II. p. 83. seqq.

APHORISMVS XI.

De Libero Arbitrio.

Gen. 6, 5. c.
 8, 11. 1. Cor. 2,
 14. 2. Cor. 3, 5.
 Eph. 2, 1. c. 4.
 17. 18. c. 5, 8.
 Iac. 1, 14. Num.
 30, 14. 2. Sam.
 24, 12. Rom. 2,
 14. 15. Matth.
 21, 29. & 30.
 Rom. 8, 7. Phil.
 2, 13. Rom. 6,
 6. 13. c. 8. 2. 18.
 c. 7, 14. &c.

EX teterrima παραβόλας illius labe, factum por-
 ero est, vt arbitrium hominis, quod in statu
 integritatis liberrimum existit, & in Deum fere-
 batur iugiter, iam in rebus mere spiritualibus pe-
 nitus emortuum, immo nullum fit, atque totum
 in peccata ruat. Vtut vero viribus naturalibus,
 circa naturalia, ciuilia, moralia, ipsasq; res spiritua-
 les pædagogicas & externas, homo possit aliquid;
 in ipso nihilominus conuersionis negotio, adeo ni-
 hil virum confert ad sui conuersionem, siue in-
 choandam, siue promouendam, siue complendam,
 vt ea vnice & in solidum, diuinæ adscribenda sit
 gratiæ. Immo licet seruum hoc arbitrium vera
 conuersione & regeneratione reddatur liberum,
 vt libertate operandi & cooperandi bonum in spi-
 ritualibus gaudeat, quidquid tamen operatur, id
 non ex se, verum ex collatis diuinæ gratiæ viribus,
 per luctæ & victoriæ viam, operatur. Arbitri-
 um, in futura, quam exspectamus, vita, erit lon-
 ge liberrimum, atque omnis expers captiuitatis.

Egregie iterum incomparabilis noster Chemnitius LL.
 Th. P. I. L. VI. c. VII. p. m. 185. monet; doctrinam de Libero
 Arbitrio, & diuinæ gratiæ momentis, quæ conuersionem in
 nobis inchoant, promouent ac complent, debere singulis
 (non ex otiosis disputationibus; nec alienis exemplis; sed ex propria
 seris penitentia exercitiis) notissimam esse. Sed, (pergit B.
 Vir.) quia plerique sine vllis exercitiis fidei & inuocationis viuimus, de
 rebus ignotis multa inextricabilia colligunt. Hinc etiam
 sub finem Loci eiusdem obseruat, necessum esse, extare Lo-
 ci huius

ei huius doctrinam pure explicatam, non ut implicentur mentes prolixis disputationibus; nec ut laquei iniiciantur conscientiis; aut deterreantur homines a studio obediendi: nec ut contemnuntur, *sed ut monstrantur beneficia filii Dei.* quæ apud eundem, loco eod. prolixius lege sub fin. c. VI.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. XVIII. p. 14. Apol. A. C. p. 217. Art. Smalc. p. 318. Epit. p. 578. Declar. p. 654. B. Lutherus integro Tractatu de Seruo Arbitrio contra Def. Brasium, cum notis D. Seb. Schmidii, &c. B. Chemnitius & reliqui. Doct. Breithaupt Infit. Theol. Loco II. c. III. §. III. p. 184. seqq. Id. Thef. Cred. & Agend. Lib. II. c. III. p. 107. seqq.

APHORISMVS XII.

Nostrum omnium salute adeo desperata, Deus Opt. Max. æterni de instaurando genere humano decreti memor, quem protoplastis promiserat, Filium, ab æterno genitum, tandem emisit, ut carnem nostram ex utero intemeratæ virginis assumens, non tantum Prædestinationis ab æterno factæ, sed etiam Regenerationis, Iustificationis & Renouationis, quæ contingunt hominibus in tempore, totiusque adeo salutis nostræ, fundamentum esset ac instaurator. Filius ergo DEI, Iesus Christus, conspicuus factus in carne, in vna persona æterna verus (per hypostaticam vnionem, quam, communicatio naturalium, idiomatum, maiestatis & apotelesmatum, nec confusionem, nec separationem admittens, sequitur) *θεσάνθρωπος* (Θ), & ipse quidem *ἀναμάρτητος* (Θ) omnium nostrum peccata recepit in se, & pro iis agendo, patiendo, solus perfectissime satisfecit, atque

DE CHRISTI,
tanquam salu-
tis nostræ In-
stauratoris, Per-
sona & officio.

Gen. 3, 15
Pf. 2, 7. Eph. 1,
4. c. 2, 20.
1 Cor. 3, 11.
Luc. 1, 27. 34. 35.
Gal. 4, 4. 1 Tim.
3, 16. c. 2, 5. Ioh.
1, 14. Hebr. 2,
14, 16. Matth.
16, 16. Marc.
15, 39. Rom. 9,
5. Ioh. 1, 1. 2. 3.
c. 10, 30. 1 Ioh.
5, 20. 1 Pet. 2,
22. Tit. 2, 14.
2. Cor. 5, 21.
1 Ioh. 2, 2. Pf.
45, 8. Deut. 18,
18. 19. Luc. 7,
16. Pf. 110, 4.
Heb. 7. Pf. 2, 6.
&c. Rom. 8, 34.
Act. 1, 11, c. 10,

42. &c. c. 17. 31.
&c.

atque sic a diabolo, peccato & morte liberatis, tergemino simul post exinanitionem triumpho, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione & exaltatione ad dextram Patris, gratiam, iustitiam, vitamque æternam promeruit; tanquam vnicus N. T. Propheta, Sacerdos & Rex, qui regno potentia omnia, regno gratia Ecclesiam, regno gloria beatos omnes moderatur ac gubernat; iamque consummato, ratione meriti, redemptionis opere, gloriosus post resurrectionem a mortuis triumphator, ad dextram Patris sedens, pro suis interpellat, rediturus, vt iudicet viuos & mortuos.

Misfis, quæ in hunc Locum, vsuum practicum longe fertilissimum, ex Patrum & Theologorum nostratum monumentis pie moneri possent, notamus ex B. Chemnitii, de duabus in Christo naturis, tractatu; quemadmodum totius missionis Filii, *restaurandam in nobis imaginem Dei*; ita Vnionis quoque personalis, & communicationis naturam in Christo, finem esse, *reduntionem naturæ nostræ cum Deo per fidem in hunc ipsius Filium*, per cuius sanguinem illa purgatur, *si vera penitentia patiamur nos regenerari*; in qua regeneratione desponsatio æterna inchoatur, & coniugium animæ fidelis cum Christo, *ipseque verus amor Dei*. Eph. III. 17. 19. 1. Ioh. I. 7. Hof. II. 19. 20. Ephes. II. 21. c. V. 32. Ioh. XVII. 22. adde 2. Petr. I. 4. 1 Cor. VI. 17. Dignissime & B. Gerhardus in Loco de Officio Christi inquit: Christus Rex & Sacerdos noster, fecit nos coram Deo Patre Reges & Sacerdotes. Imperemus igitur carni, dominemur peccato, resistamus diabolo, vt Reges; offeramus corpora victimam spiritualem, vt Sacerdotes. Christiani a Christo dicimur; æquum igitur est, vt Christo capiti nos conformemus, in ipsius clientelam nos resignemus, ab ipso nos regi patiamur, salutem nostram ipsi vnice commendemus. Clamat ad nos: EGO

SYM

SVM VIA, ergo exemplum eius imitemur; *EGO SVM VERITAS*, ergo verba eius fidem habeamus; *EGO SVM VITA*, ergo in morte ipsi animas nostras commendemus, &c. B. autem Lutherus graviter toties totiesque monere solitus est; uti nos debere *Servatore Iesu*, non ut *DONO* tantum, sed etiam ut *EXEMPLO*, hoc est: non ad *IVSTIFICATIONEM* solum, verum quodque acceptis ab eo in *Regeneratione* viribus, ad *SANCTIFICATIONEM* impetrandam. Alioquin, ita Christum non acceptantes, utut *Personae* in Christo *θεωσώμενος* vniuersum contra haereticos adsertum eant, eundem reuera scindunt.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. præter Symbola A. C. præmissa & supra citata, A. C. Art. III. p. 10. Apolog. A. C. p. 59. Catech. Min. p. 371. Catech. Mai. p. 493. Epit. p. 605. seqq. Declar. p. 761. seqq. Et, qui loco multorum, vnus sufficit, B. Chemnitius in aureo de duabus in Christo Naturis Tractatu &c. D. Breithaupt Inst. Theol. L. IV. c. I. p. 408. Idem Thef. Cred. & Agend. L. IV. c. I. Th. IV. p. 221. seqq.

APHORISMVS XIII.

Quemadmodum vero caelestis Pater vniuersali sua misericordia, genus humanum in Christo ad vitam æternam destinavit, & Christus id ipsum, ceu vnicus inter Deum & homines Mediator, Redemptor vnicus, satisfactione sua & merito, itidem catholico, redemit; ita Spiritus S. gratia sua applicatrice, destinata illa & parta bona, omnibus offert, atque iusto salutis ordine, per medium verbi & Sacramentorum, ex sua intentione semper efficaciter applicat: cuius gratiæ applicatricis, varii, iique mere gratuiti actus obseruantur, distinctè omnino considerandi, haudquaquam tamen diuellendi.

De Gratia Dei applicatrice.

Rom. 15, 16.

c. 8, 13, 14, 15, 16. &c.

C

Non

Non sufficit, nosse parva nobis per Christi meritum bona, a Patre ab eterno destinata; sed enim vero, necessum est, bona illa per Spiritum S. nobis applicentur, alias rei efficiemur iudicii grauioris, ni Spiritus S. meriti Iesu efficaciam in animis nostris queat exercere. Christus ergo in predicandus est atque docendus, vt habeant homines, non de quo in securitate sua sibi gratulentur, sed quem applicante Spiritus S. apprehendant in vera penitentia & paupertate Spiritus per fidem, ad Iustificacionem & sanctificationem obtinendam. Pulchre sane huc faciunt emphatica B. Lutheri verba in libro de Liber. Christ. p. m. 18. §. 38. 39. quæ ita habent: *Non est factis, nec Christianum, si Christi opera, vitam & verba prædicemus historico more, ceu res quasdam gestas, quas nosse satis fit ad vitæ formandæ exemplum, quomodo ii, qui nunc optimi sunt, prædicant: multo minus, si penitus taceatur, & leges hominum, decretaque Patrum, vice eius doceantur. Iam sunt non pauci, qui eo studio Christum prædicant & legunt, vt adfectus humanos moueant, ad condolendum Christo, & indignandum Iudæis, & id genus alia puerilia & muliebria deliramenta. Oportet autem, vt eo sine prædicetur, quo fides in eum promoueatur, vt non tantum sit Christus, sed TIBI ET MIHI SIT CHRISTVS, & id in nobis operetur, quod de eo dicitur, & quod ipse vocatur. Hæc autem fides nascitur & conseruatur ex hoc, si prædicetur, quare Christus venerit, quid adulerit & dederit, quo vsu & fructu acceptandus sit. Hæc Lutherus. Ita vero vbi Spiritus S. Gratiâ Domini Iesu Christi, Caritatem Dei, Communionemque sui animabus nostris, in Regeneratione, Iustificacione & Sanctificatione, intime applicauit & reuelauit; illic certe, non tantum Christus fit, quod est, & quod de eo dicitur, sed exoritur etiam totius diuinitatis agnitio experimentalis, quæ omnino iis omnibus, quæ extra hoc gymnasium Spiritus S. humana assequi valet industria, tanto est validior, quanto diuina antecellunt humanis. Hic enim, pro vnitâte essentia diuinæ, vnâ & indiuisâ eius gratiam, sed quæ diuerso appropriationis ordine a singulis personis proficiscitur, in nostra ipsorum anima agnoscimus atque experimur. Ideo Paulus suis precatur Corinthiis, vt cum iis sit Gratia Domini Iesu Christi, & Caritas Dei, & Communio Spiritus S. 2 Cor. XIII, 13.*

CON-

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Limbb. Symbb. Catech. Min. p. 371. seq. Catech. Mai. p. 495. seqq. Edit. p. 618.
 Declarat. p. 304. D. Baierus in Compend. Parte III. c. I. p. m. 553. seqq.
 D. Königius Theol. Posit. P. III. §. 425. & 426. D. Dietericus Instit. Catech.
 De Spiritu S. qu. 6. vid. eiusd. ibid. adnotationes p. m. 403. D. Lyferus
 in Summario LL. Th. de Salutis Oblat. & Rnd. Dn. Io. Simonides noster in
 Catech. Bohem. p. 224. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. III. c. I.
 §. I. p. 221. seqq. Idem Theol. Cred. & Agend. L. III. c. I. Th. I. p. 119. seqq.

APHORISMVS XIV.

VOcat ergo Spiritus S. homines speciali per
 Verbum Vocatione, serio, ad vitam æter-
 nam, atque huius causa ad instaurandam in ipsis
 diuinam imaginem: neque id violenter, verum
 ita, vt possint resistere omnino, id quod fit, na-
 turali repugnantia in morosam abeunte. Hic
 enim ordo eius est, vt gratia Dei præueniendo
 primum; mox, vbi acceptata fuerit, preparan-
 do & si hinc non resiliant homines, operando
 cooperando denique & stabiliendo; sese insinu-
 et atque exferat. Vocatio autem hæc, vti gra-
 tuita, ita vniuersalis est; vtpote quæ non in No-
 uo tantum Testamento, per missionem Aposto-
 lorum, sed iam tum quoque in Veteri Testamen-
 to, partim post lapsum in proteuangelio, partim
 post diluuium per Noachum, toti generi huma-
 no solemniter obtigit. Proinde non Dei, sed
 ipsorum est culpa gentilium, quibus specialis per
 verbum vocatio non contigit; quippe qui, vo-
 catione generali, (ad quam tum naturalis Dei no-
 titia,

De Vocatione.

1 Tim. 2, 4. z

Tim. 3, 9. Col.

1, 23. Rom. 10,

21. 16. Ef. 65, 2.

Matth. 23, 37.

c. 28, 19. Rom.

10, 18. Gen. 3,

15. c. 9, 9. 27.

2. Petr. 2, 5.

Rom. 1, 21. 19.

20. Act. 14, 17.

c. 17, 27. 1.

Theol. 1, 8. c. 4,

12. Gen. 6, 3.

c. 12, 1. Matth.

11, 1. seqq. Luc.

22, 21. Act. 9,

3, 4. &c.

titia, post lapsum adhuc residua, tum lux Ecclesiæ V. & N. Testamenti, in aprico posita, referatur) rite non adhibita, spiritum Dei arguentem excutientes, verbo eius semet ipsos priuarunt, adeoque facti sunt ἀναπολόγητοι. Datur & vocatio extraordinaria, in qua pro libertate œconomix diuinæ, sub diuersis quidem circumstantiis & medijs pedagogicis, non aliæ tamen vires credendi vocatis offeruntur.

Pulchra & pia sunt, quæ B. noster Chemnitius L. de Lib. Arb. c. VII. circa diuinæ gratiæ nos conuertentis momenta, obseruat: *Conuersio, inquit, non est talis mutatio, qua uno momento statim omnibus suis partibus absoluitur & perficitur, sed habet sua initia, suos progressus, quibus in magna infirmitate perficitur. Non ergo cogitandum est; secura & otiosa voluntate expectabo, donec reuocatio seu conuersio, iuxta gradus recensitos (gratiæ puta, præuenientis, præparantis &c.) operatione Spiritus S. sine meo motu absoluta fuerit &c.* Et paulo post: *In principio desiderium est obscurius, assensio languidior, obedientia tenuior; & illa dona oportet crescere. Crescunt autem in nobis, non sicut truncus violento impulsu prorebitur, vel sicut lilia non laborantia, non curantia, crescunt; sed conando, luctando, querendo, petendo, pulsando; & hoc non ex nobis, DEI DONVM EST.* Luc. XIX. 13. seqq. Matth. XXV. 15. seqq. 2. Tim. I. 6. *Primariè vero huic ad vitam æternam Vocationi, Apostoli mirando nexu in singulis suis Epistolis, Vocationem secundariam, seu statum in vita ciuili externum, subordinant. Vnicum placeat exemplum. In Epistola ad Ephesios, postquam cap. I. de gratuita ad vitam æternam prædestinatione &c. & dein Cap. II. & III. de vocatione per Euangelium ad Ecclesiæ, ac mysterio seruandarum gentium, Paulus fufe disseruisset; tandem Cap. IV. precatur eos, quo ambulent, vt conuenit Vocationi, qua vocati sint, & quidem cap. V. VI. pro diuersitati status externi, Vxorés, Mariti, Liberi, Serui &c. Id quod*

quod in reliquis Apostolorum Epistolis, Pio Lectori, observandum solícite, relinquimus, monentes; *omne vite genus, quocunque id veniat nomine, ita comparatum esse debere, ut ne id vocationi ad vitam eternam sit contrarium.* Conferatur 1. Cor. VI. 19. 20. c. VII. 20. 34. c. X. 31. Rom. XIV. 7. 8. 9. c. XII. toto. 1. Petr. IV. 10. 11. &c. *Qua sine relatione, quidquid tum in Ecclesiastico, tum in Politico, tum in Oeconomico statu agitur, ut splendide id ipsum fiat, male certe agitur.* E contrario, *quaecunque in hac relatione, tamquam in Domino geruntur, seu sublimia, sunt, seu vilissima; sane ea omnia sancta opera & vera sacrificia, in quibus Christus aduersus Diabolum triumphet, cum Apolog. A. C. p. 95. iure meritoque appellamus.* quod ipsum etiam omnibus ac singulis ex Verbo Dei studiosè inculcandum censemus, ne homines vana de secundaria vocatione sua, ut toto die fieri adsolet, præsumptione male fascinati, salutem, quomodocunque vixerint, temere sibi polliceantur. Nota enim sunt proverbia vulgi: *Wenn ich nur in meinem Beruf sterbe / so sterbe ich selig.* Et patria nostra lingua: *A' ki hiva-tallyában hal meg, a' bóldogúl hal meg.* Bohem. *Kdo v sívem povolání umírá ten dobře umírá.* Largiemur id faciles, dummodo *Vocationis primariae, digna, eaque potior cura fuerit habita.* Tu vero Domine! *doce nos per Spiritum tuum, ut cum timore ac tremore, tam nostram ipsorum salutem, quam opus etiam manuum nostrarum, ad quod veliam destinati, vel adhuc destinandi sumus, consciamus.* conf. Phil. II. 12. 2 Petr. I. 10. Ier. XLVIII. 10.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Simbh. I. c. D. Calouius Theol. Posit. Sect. IV. c. I. p. 486. B. Hülsemannus, De Auxiliis Gratiae. D. Königius Theol. Posit. P. III. p. 124. seqq. D. Olearius Vniu. Theol. Art. XCI. p. 746. seqq. Rud. Dn. Simonides in Catech. Boh. p. 435. seqq. &c. D. Breithaupt Inst. Theol. L. III. c. I. §. III. p. 221. Idem Theol. Cred. & Agend. Lib. III. c. I. Th. II. p. 121.

APHORISMVS XV.

Primus penes eos, qui vocationem apud se efficacem esse sinunt, gratiae sanctificantis actus ^{De Illuminatione.} vera ^{Hebr. 4, 12.} ^{1. Petr. 1, 23.}

2. Pet. 1, 19. Iac.
1, 21. Eph. 1, 17.
18. 2. Cor. 3, 16.
col. Apol. A.
C. p. 34. 85 Ich.
6, 44. Pl. 119.
toto.

vera & spiritualis est Illuminatio; quæ ex audito verbo, tamquam ordinario Illuminationis medio, penes vocatum orta, eundem, pulsis tenebris infernalibus, tum ad suæ ipsius ignorantiaë, arrogantiaëque detestandæ, tum ad veritatis cælestis, conscientiam vel maxime adficientis, agnitionem ita adducit, vt is, ex diuinis verbi viribus in Deum credat, atque tractioni Patris, ad Christum veniendo, obsequatur. Hæc vero Illuminatio, pro ipsa subiectorum, circa inuocationem, verbi meditationem, fideique in tentationibus exercitia, fidelitate, admittit magis & minus.

Quidquid Illuminationis spiritualis statuimus, ex Verbo Dei reuelato, *ceu lucerna pedibus nostris, & luce itineri nostro*, Psal. CXIX. 105. col. v. 18. hauriri debere ad eueramus: sed quæ Illuminatio, Paulo *Φωτισμός τῆς γνώσεως τῆς δόξης τῆ θεῶ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, dicta, 2. Cor. IV, 4. 6. ita intellectum collustrat, vt & ipsa voluntas, eodem momento temporis, gratiam regenerantem admittat. Cum enim intellectus & voluntas non realiter a se inuicem differant, sed distinguantur tantum per mentis operationem, certe intellectu salutariter illustrato, necesse est, voluntas ipsa iisdem verbi diuini viribus, illico corrigatur & immutetur, reformanda magis atque magis, vbi gratia hæc rite fuerit adhibita. Alias, voluntate morose repugnanter, sane intellectus quoque densissima errorum caligine manebit obfusus. Conf. Ioh. XIV. 17. 21. 1. Cor. II. 14. col. Epist. Iudæ v. 19. 1. Ioh. III. 6. Bene ergo & scripturis consentanee B. Seb. Schmidius ad Illuminationem, *si vera sit ac spiritualis* (naturalis enim & philosophica abusive modo sic appellatur) *FIDEM* requirit, in Epist. ad Hebr. p. 272. *FIDES*, inquit ille, *per verbum Dei predicata & donata, intellectum hominis illuminat, & intelligere facit, quod*

quod intelligere & assequi sine EA non potest. Hoc est, quod Aposto-
 lus dicit, *πίστει νοῦς οὐκ ἔχει, fide intelligimus.* Hebr. XI. 3. Quando
 namque dicit, quod FIDE intelligamus, ostendit, quod SINE FIDE
 non intelligeremus. Quando autem intellectus incipit intelligere, quod
 prius non intellexerat, certe illuminari eum oportet AB EO, PER
 QVOD intelligit. Ita Schmidius. Qui ergo, dari bestias, theo-
 logico sensu, illuminatissimas, salva orthodoxia posuit adferi;
 id ii, qui talia operose propugnatum eunt, viderint. Nos
 cum B. Luthero ex Libelli de Libert. Christ. epilogo, quem-
 admodum in omnibus doctrinæ Christianæ capitibus, ita
 & hic, oratione opus esse censemus, ut Dominus nos trahat, & THEO-
 DIDACTOS, id est, dociles Deo faciat, & ipse in cordibus nostris,
 sicut promisit, legem scribat; alioquin actum est de nobis. Nisi enim
 INTVS IPSE DOCEAT, hanc sapientiam in mysterio absconditam,
 natura non potest, nisi damnare eam, ac hereticam pronunciare.
 Conf. Votum Pauli ad Eph. I. 17. 18.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. V. p. 11. lin. 2. Carech. Min. p. 372. Carech. Mai. p.
 496. seqq. Danhauerus Hodosoph. Phæn. IX. p. 938. Calovius Theol. Po-
 sit. Sect. IV. c. 2. p. 487. Brochmandus in Syst. Art. XXI. Sect. II. p. m.
 221. Rnd. Dn. Io. Simonides in Carech. Bohem. p. 439. &c. Doct. Breit-
 haupt. Infit. Theol. L. III. c. I. §. V. p. 250. Idem Thef. Cred. & Agend.
 Lib. III. c. I. Th. III. p. 137.

APHORISMVS XVI.

Regeneratio striçte sumta, vt cum reliquis acti-
 bus ex vno gratiæ fonte promanat, ita & ab
 Illuminatione non alio differt modo, quam quod
 hæc intellectum, pellendo crassas mentis tene-
 bras, atque cælestem adfundendo lucem; illa
 voluntatem magis, credendi vires simul & ipsi
 conferendo, respiciat. Est vero ea siue infantis,
 per Baptismum, siue adulti, per Verbum, vera
 (sed manente essentia vitaque naturali) ac realis
 immu-

De Regenerati-
one.

Tit. 3, 5. Ioh.

1, 4. 9. Eph. 1,

18. 19. 20. c. 4,

18. c. 5, 8. 26.

c. 2, 5. 6. 12.

Rom. 6, 2. seqq.

c. 8, 2. seqq.

Ioh. 3, 6. Col.

3, 9. 1. 3. c. 2. 13.

2. Pet. 2, 4. Ioh.

1, 13. 1. Ioh. 5,

1. 4. Gal. 6, 15.

1. Pet. 3, 4. Gal.

4, 19. c. 5, 4.
2. Pet. 2, 20. 21.
22. &c.

immutatio, qua homo per fidem, acceptis ex Christi morte viribus peccato demoritur, & ex spiritu vitæ Iesu Christi, vitam spiritualem agere incipit, atque adeo ex filio satanæ, filius Dei, ex veteri homine, nouus homo, creaturaque noua, ad omne opus bonum creata, euadit. Isthæc autem Regeneratio, amitti omnino potest, peccato voluntario, sed recuperari etiam iterata pœnitentia, si hæc fuerit serua, consummata non huius, sed futuræ vitæ est.

Audiendus B. Lutherus, de mutatione illa, quæ fit penes regeneratos, in Comment. in Epist. ad Gal. c. VI. de noua Creat. ita differens: *Noua, inquit, Creatura, qua reparatur imago, non fit fucio, aut simulatione vllorum operum externorum, (quia in Christo Iesu, neque circumciso aliquid valet, neque praputium) sed per Christum imaginem Dei in iustitia & sanctitate veritatis creatur. Opera cum sunt, nouam quidem speciem adferunt, qua mundus & caro capiuntur, sed non nouam creaturam. Cor enim manet impium, sicut antea, plenum contemptu Dei, infidelitate &c. Ideo noua creatura est opus Spiritus S. qui fide purificat cor, & efficit timorem Dei, caritatem, castitatem &c. ac donat virtutem domandæ carnis, & fugiendæ iustitia & sapientia mundi &c. Hic non est fucus, aut tantum noua externa species, sed res ipsa geritur. REVERA SENSUS ALIUS, & ALIUD IUDICIUM, nempe spirituale nascitur, quod ea, qua prius magnificat, post abominatur &c. Quæ ante hanc nouam creaturam, pro summe sanctis adorauimus, de illa, cum redeunt in memoriam, erubescimus. Quare mutatio vestitus, & aliarum externarum rerum, ut Monachi somniant, non est noua creatura, sed renouatio mentis per Spiritum S. quam sequitur etiam postea mutatio membrorum & sensuum corporis. Nam ubi cor nouam lucem, nouum iudicium, & nouos motus per Euangelium concipit, fit, ut externi quoque sensus innoentur. Aures enim verbum Dei, non amplius traditiones & somnia humana, gestiunt audire. Os & lingua, non sua opera*

opera & iustitias, & regulam iactant, sed solum misericordiam Dei in Christo exhibitam. cum gaudio prædicant &c. Hæ sunt mutationes, ut ita dicam, NON VERBALES, SED REALES; quæ afferunt, nouam mentem, voluntatem, novos sensus & actiones etiam carnâ, ut oculi, aures, os & lingua, non solum aliter, quam antea, videant, audiant & loquantur; sed ut ipsa mens etiam aliud probeat & sequatur. Idem, cum reliquo orthodoxorum cœtu & D. Brochmandus sentit, cuius eximia plane verba, quo minus hic adscribamus, brevitatis prohibet studium; legesit eadem in Systemate Theol. Artic. De Iustif. Sect. IV. p. m. 192. Recte ergo Danhauserus, Regenerationem actum dicit diuinum, ἀναδεν ἢ ἐπαρόθεν excitatum, ex diuino consilio, voluntario, semen fecundante: actum stupendum, multo admirabiliorem generatione naturali: actum Dei nobilissimum, multo nobiliorem primâ hominis creatione; hæc enim verbo facta, resuscitatio Filii impendio ac propeo constitit. Ioh. III. 3. I. Pet. I. 3. Tit. III. 5. Luc. VII. 30. Iac. I. 18. Ef. XLIV. 3. c. LV. 10. Pf. CXXXIX. 14. Eccl. XI. 5. Ita ille Hodof. Phæn. IX. p. 924. Legantur etiam atque etiam sequentia. Regenerationis autem tanta est necessitas, ut Christus ipse, Nicodemo, emerito illi in Israel Doctori, salutem denegarit æternam, nisi ex aqua & Spiritu regeneraretur. Qua de causa, videndum, omnino, ne, uti Nicodemo Circumciso, Iudaismus, vita honeste ante acta, & rerum diuinarum qualicumque peritia; ita nobis persuasio inanis, de Baptismo, Religionis Lutherano Euangelica professione, vita bene ciuili, cognitione rerum diuinarum solis intellectus viribus acquisita, turpiter imponat. Tametsi enim cuncta hæc, quoad fides non defuerit, maximi prorsus faciendâ, nec dubitandum, quin, per baptismum vere regeneremur; assertum tamen (contrarium docente experientia) nequiquam ibimus, in illo regenerationis statu, quem in baptismo obtinuerant, plerosque ita perseverare, ut per iuuentutem peccatis contra conscientiam se haud contaminent, adeoque iterata per pœnitentiam Regeneratione non indigeant. Quod ergo post circumcisionem Nicodemo, id post baptismum adultis etiam dictum esto: Nisi quis regeneratus sit, non potest videre Regnum Dei. Ea propter, nitamur, ut ἐν τῇ πληροφῳρίᾳ τῆς πίστεως, cum Petro gloriari quea-

queamus, & Deo ac Patri Domini nostri Iesu Christi benedicere, qui ex multa sua misericordia regnauerit nos in spem uiuam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. 1. Petr. 1. 3.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. vid. ad Aphorism. sequentem. Item A. C. Art. IX. p. 12. Apol. A. C. p. 156. Artic. Smalc. p. 329. &c. Calouius Theol. Posit. Sect. IV. c. III. p. 489. Königius Theol. Posit. P. III. p. 187. seqq. Baierus in Comp. pend. Parte III. c. IV. p. m. 663. Brochmandus l. c. Danhauerus l. c. Conf. idem in Lacte Catech. Olearius Vniuersæ Theol. Art. XCII. p. 753. &c. D. Breithaupt Infit. Theol. L. III. C. I. §. VI. p. 279. seqq. Idem Theol. Cred. & Agend. L. III. c. I. Th. IV. p. 136.

APHORISMVS XVII.

*De Poenitentia,
 seu Conuersione.*

Pf. 51, 5. &
38. toto &c.
Col. 2. Cor. 7.
Ro. 11. Rom. 4.
13. c. 5, 1. Heb.
11, 1. 1. Ioh. 5, 4.
5. Rom. 6, 6.
Gal. 5, 24, 25.
1 Ioh. 1, 7. Pf.
32, 2. &c.

Conuersione, Resipiscencia seu Poenitentia, idem, qui Regeneratio, gratiæ sanctificantis actus est; nisi quod hæc & infantibus, vsu rationis nondum pollutibus, tribuatur; illa ipsorum modo sit adulterorum: hinc quoque poenitentia, alia lapsorum, alia stantium, dicitur. Essentiales eius partes, duæ sunt: Contritio, quæ veram peccatorum agnitionem & detestationem includit; & Fides, quæ in vere contritis per Spiritum S. ex Euangelio excitata, in Christi satisfactione & merito acquiescit, motusque illos, luctantis cum ira Dei conscientia, sedat, ac ipsam adeo complet veram poenitentiam. Hæc autem inde dignoscitur, si peccatum non dominetur amplius, sed vero efficax nouæ obedientiæ adsit studium.

Contritionem & Fidem, haud in solo versari intellectu, egregie contra aduersarios adstruit Apol. A. C. p. 125. l. 1. *Sicut errores, inquit, peccati & mortis, non sunt tantum cogitationes intellectus, sed etiam horribiles motus voluntatis, fugientis iudicium Dei; ideo Fides, non tantum est notitia in intellectu, sed etiam in voluntate, hoc est,*

est, est velle & accipere hoc, quod in promissione offertur, videlicet, reconciliationem & remissionem peccatorum. Sic vitur nomine Fidei Scriptura, ut testatur hac sententia Pauli: Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Rom. V. r. Et p. 168. lin. 27. p. 169. seqq. Synonyma Contritionis & Fidei, ex vsu Paulino, in Conuersione & Renouatione, dicuntur, **MORTIFICATIO ET VIVI-FICATIO**, seu exspoliatio corporis peccatorum, & resuscitatio per Fidem. Sed recte ibidem monet Apologia: Neque hac verba, mortificatio, viuificatio, exspoliatio corporis peccatorum, resuscitatio, Platonice intelligi debent, de simulata mutatione; sed mortificatio significat, **VEROS TERRORES, QVALES SVNT MORIENTI-VM**, quos sustinere natura non posset, nisi exigeretur fide. Ita hic (Col. II. ii.) exspoliationem corporis peccatorum (Paulus) vocat, quam nos dicimus vscate **CONTRITIONEM**; quia in illis doloribus, concupiscentia naturalis expurgatur. Et viuificatio intelligi debet, non imaginatio Platonica, sed consolatio, quae vere sustentat fugientem vitam. Vnde merito exclamat Apologia p. 193. l. 9. Quis non malit loricatus & cataphractus quarere templum Iacobi, Basilicam, Petri &c. (aut, quod facilius est, extremis pronunciare labiis: peccavi Domine! quam vocem, impii & securi homines, non emittunt serio. ibid. p. 169. lin. 20.) quam sustinere **ILLAM INEFFABILEM VIM DOLORIS**, quae est etiam **IN MEDIO-CRIBVS**, si sit vera poenitentia. De genesi autem fidei, ita eadem loquitur Apologia p. 86. lin. 11 Fides existit in poenitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientiae, quae sentit iram Dei aduersus peccata, & querit remissionem peccatorum, & liberari a peccato. Et in talibus terroribus, & aliis afflictionibus, debet hac fides crescere & confirmari. Quare non potest existere in his, qui secundum carnem viuunt, qui delectantur cupiditatibus suis, & obtemperant eis. Tantum ergo abest, vt vera de Poenitentia doctrina, homines in desperationem agat praecipites, vt eos potius, olim in desperationem certo certius ruituros, ni resipiscerent, tempestiue ad Christum adducat. Alioqui verum est, poenitentiam veram, numquam seram esse: at dicto hoc, qui temere aburuntur, viderint, ne aliquando, quam ex malitia sua seram voluere, minime sit vera poenitentia. Cuiusmodi praesumptione, decem-

millia damnari, si ex desperatione fortean mille, factum apud Theologos prouerbium. Nobis itaque, curæ cordique sit, illa scripturarum vox: *Hodie, si uocem eius audieritis, ut obdurate corda uestra.* Hebr. III, 7. 8. *Ut abiectis omnibus sordibus & excremento malitiæ, cum lenitate excipiamus illum sermonem, qui potest seruare animas nostras.* Iac. I. 21.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. XII. p. 12. Apol. A. C. p. 161. seqq. Art. Smalc. p. 319. seqq. Acuratissimus D. Io. Musæus in Tract. De Conuersione. Gerhardus LL. CC. T. III. p. m. 183. seqq. Conferatur Hülfemannus in Brev. a D. Schertzero extenso. D. Calouius, D. Quensted, D. Carpou. & Schertzerus in Systematibus, in Loco de Pœnitentia. &c. D. Breithaupt Inst. Theol. L. III. c. I. §. VIII. p. 304. Idem Thef. Cred. & Agend. Lib. III. §. I. Th. V. p. 141.

APHORISMVS XVIII.

*De iustificatio-
ne.*

Rom. 3, 24.
28. c. 4, 4. 5.
c. 5, 19. c. 8, 4.
c. 11, 6. Pl. 37, 1.
Phil. 3, 9. Tit. 3,
5. Gal. 2, 16.
Eph. 2, 8. 9. 10.
2. Cor. 5, 17. 18.
19. 20. 21. seqq.
&c.

Actus hi gratiæ sanctificantis, mere gratuiti, ubi debito apud hominem ordine fundati sunt, iustificatio, ceu æternæ executio Prædestinationis, emergit, estque actio miserentis Dei iudicialis, qua is uere pœnitenti & credenti, gratis, sine ullo respectu operum, siue antecedentium, siue concomitantium, siue consequentium fidem, iustitiam Christi imputat, & propter hanc, peccata omnia remittit. consequens est, ut eidem reconciliatio, Spiritum Filii conferre, uitæque æternæ illum heredem reddere possit Deus, in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

Multi ex persuasione fictæ seu mortuæ fidei, sibi cum iniuria uitæ & salutis æternæ imponunt, *inquit B. Chemnitius in L. De Iustific. de vocab. Fidei, p. m. 244.* Quam ob rem, obseruamus ex eod. ibid. *Fidem in Articulo Iustificationis intelligendam esse, non tantum pro notitia & generali assensione, que in genere statuat, ueram esse promissionem Euangelii; sed completi simul motus*

voluntatis & cordis: hoc est, esse desiderium & fiduciam, qua in lucta cum peccato & ira Dei, singulis credentibus promissionem ita applicet, ut in generalem promissionem, quisque credentium, se quoque includat, & ita se exigit, ut sine hesitatione statuens, promissionem Evangelii sibi quoque firmam esse, inde vitam & consolationem in tentationibus concipiat. Dignissima est, quæ hanc in rem legatur, Oratio B. Henrici Höpffneri, De Actibus Fidei Iustificantis, quatenus illa iustificat, ante hos tres annos Gryphsualdiæ edita. Constituit autem curatissimus Theologus, actus quatuor: [I] *DESIDERIVM* summe in hians promissioni; quod ut exponat, illud Habacuci c. II. 3. citat: Si moram fecerit (promissio) inbia illi, quia veniens veniet, & non tardabit; vrgetque emphasin hebræam יהייהוה inbia cupide, a rad. יהיה inhiavit &c. (II) *APPREHENSIONEM MERITI CHRISTI* quam theoreticam & practicam statuit: illa est, dum quis promissioni gratia in intellectu assentitur, quæ & impiorum esse possit; hæc autem, practica nimirum, quæ fidei, iustificanti propria fit apprehensio, motus est cordis seu voluntatis, quo conscientia ira diuine sensu, ob reatum suum terrea obedientiam Christi legi diuine pro genere humano prestitam, in Verbo & Sacramentis oblatam, & hominibus pro iustitia imputabilem, cupide accipit ac tenet, ceu summe sibi necessariam, ut in iudicio Dei, cui filii debet, stare possit. Quem Fidei actum in fontibus græcis Noui Test. verbum λαβῆν*, eiusque composita, ἀπολαβῆν, καταλαβῆν, ἐπιλαβῆν ἢ παραλαβῆν, emphatice expriment, ut & verbum δεχεσθαι ἢ τυγχάνειν. (III) *APPRHENSÆ CHRISTI IVSTITIÆ APPROPRIATIONEM*, eique destinatam tenacem adhesionem & vnitionem, quorsum pronomina possessiua, meus, mihi, &c. tamquam verba fidei pertineant &c. (IV.) *FIDVCLIAM*, qua sit, cordis fidelis, suavis & accepta quies, in obedientia Christi desiderata, apprehensa & sibi appropriata; vnde Fides dicatur ὑπόστασις Heb. XI, 1. Quamuis vero, dum meritum Christi desideramus, id omnino amamus; Fides ta-

* Ioh. 1, 5.
Rom. 5, 17. & v.
11, 15. Ioh. 17, 8.
Gal. 2, 14, c. 4.
1. Tim. 6, 13.
col. v. 19. Item
Luc. 10, 10. Act.
2, 41. c. 8, 14.
Iac. 1, 21, col.
1. Tim. 1, 15.
Rom. 11, 7. Heb.

bensum tenet *VERA FIDUCIA*. Idem, suffragante orthodoxorum consensu, sæpius laudatus *Brochmandus*, adsertum reliquit in *Sytemate Art. De Iustific. c. I. Sect. II. p. m. 189.* sic vero ille: Quocirca, quando contendimus, hominem sola fide iustificari; non aliud intendimus, quam quod, licet vera & viua fides, stipata semper sit dilectione Dei & proximi, aliisque virtutibus a Deo acceptis, tamen virtutes istæ, quæ cum fide nexu indiuiduo copulatæ sunt, actum Iustificationis non ingrediantur, sed *SOLA FIDES* meritum Christi apprehendat & applicet, atque ita in iustitiam sola imputetur. Quid porro sit Fides iustificans, solide non minus, quam pie docet *Apol. A. C. p. 108. lin. 30.* Sæpe, inquit, iam ostendimus, quid appellemus Fidem? non enim loquimur, de otiosa notitia, qualis est etiam in Diabolis, sed de fide, que resistit terroribus conscientia, que, erigit & consolatur perterrefacta corda. Talis Fides, neque facilis res est, ut somniant aduersarii, neque humana potentia, sed diuina potentia, qua Diabolum & mortem vincimus, sicut Paulus ad *Colossenses* ait, quod Fides sit efficax per potentiam Dei. Lege quoque *A. C. Art. XX. p. 17. lin. 11. seqq.* Prolixiora sint licet, quæ *B. Seb. Schmidius* in *Disput. De Fide viua & mortua* ex *Iacobi II. v. 17. 20. 26.* habet, ea nihilominus, quum grauisime scripta sint, Lectori beneuolo in gratiam huc transcribere, nihil dubitamus. Quicunque, inquit, fide Deum apprehendit, tamquam imputata Christi iustitia ita absoluentem a peccatis, iustificantemque, ut se in peccatis commorantem, & quodlibet facientem, saluaturus tamen sit; ille sane Fidem iustificantem non habet, sed isthæc illius fides, plane mortua est, aut si quid mortua peius est. Illa vero fides, que Deum apprehendit, ut renouaturum, sanctificaturum, in sancta vita ducturum, in bonis operibus recturum, tandemque glorificaturum; illa, inquam, fides, demum est vera fides iustificans, & formam fidei intrinsecam habet, non extrinsecam. Patet autem hinc, quod eadem hæc fides sit primum principium & prima radix omnium bonorum operum. Huius namque fidei, non tantum soboles est caritas, quam Deus reconciliatus in Renouatione cum aliis virtutibus in iustificatis creat, sed & per caritatem sic operatur, ut caritatem ad agendum bona opera excitet, moueat, urgeat, tamquam sanctitatis in vitæ operibus cupidissima. Et certe fieri non potest,

ut hæc

ut hac fides non producat bona opera, adeo, ut ubicunque non sunt bona opera, hanc fidem oporteat non adesse, aut exspirasse, & necessaria sit consequentia, ab absentia bonorum operum, ad absentiam huius Fidei. Conf. Art. Smalc. p. 336. l. 20. Rem, clarissimorum Theologorum dictis, fufius paulo explicuiffe, pretium operæ futurum est, vt neque operibus in actu Iustificationis, quidquam attribuat; neque fides cum caritate permisceatur; sed nec torpentes & securi Christiani (*Libb. Symb. p. 693. lin. 11.*) opinionem quandam loco iustificantis fidei, sibi imaginantes, in sua obfirmetur securitate. Præter hunc diuinæ canonem veritatis, aliud quiddam ita loquentibus adfingentes, *otiosi certe sunt homines, qui non norunt, quomodo contingat remissio peccatorum, & quomodo in iudicio Dei, & terroribus conscientie fiducia operum nobis excutatur.* Apol. A. C. p. 63. l. 16.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Simbb. A. C. Art. IV. p. 10. Apol. A. C. fufe satis ap. 60. vsque ad p. 144. Art. Smalc. p. 335. seq. immo, singulis fere paginis. B. Hopffnerus præter locum cit. in Tractatu plane incomparabili, De Iustificatione, Chemnitius, Gerhardus, Kromayerus in Loco De Iustific. &c. D. Breithaupt Inst. Theol. L. III. c. II. p. 322. seqq. Idem Thef. Cred. & Agend. Lib. III. c. II. Th. I. p. 151. & Th. II. p. 152. seqq. Ven. Dn. D. Antonius in Disput. De Harmonia Fidei. Excellentiss. Dn. Francke Præceptor ætatem venerandus, in germanico Tractatu: *Gnad und Wahrheit.* Idem in nupero Responsu germanico ad quæst. De Iustificatione. Et in peculiaribus Concionibus, Feria II. Pentecost. Item Dominica XI. Trinit. de Iustificatione. &c.

APHORISMVS XIX.

Immediatum Iustificationis penes hominem consequens, seu fructus est, Libertas Spiritus, qua is, arbitrium, antea sub morte, peccato ac ira diuina captiuum, per fidem ex Iustificatione, ita liberatum accipit, vt, licet in tentationibus, aculeum mortis spiritualis, temporalis ac æternæ, peccatique dominium adfectantis, & ex lege seruilis nonnunquam adfectum, rursus persentiscat, ei ta-

De Libertate Spiritus, seu Christiiana.

Ioh. 8, 24. 26.
Gal. 5, 1. 22. 23.
1 Cor. 13, 54. 55.
56. Rom. 8, 1.
2. 10. Apoc. 14,
13. Ioh. II, 25.
26. c. 8, 51. Gal.
5, 17. 18. it. v.
13. 1. Cor. 6, 12.
c. 10, 23. 24. 32.

men

c. 9, 19. 20. c.
14, 40. Rom.
13, 13. 14. & 2.
c. 14, 15. seqq.
&c.

men fide, quæ Dei est potentia, resistere omnino possit, donec soluto prorsus peccati corpore, libertati post hanc vitam adseratur omnibus modis perfectissimæ. Libertas autem hæc spiritualis, ad corpus aliter referri nequit, nisi quatenus id Spiritus dominium admiserit: secus si fiat, abusus maxime noxii circa res quasuis, tametsi in se indifferentes, euitari certe nequeunt, tum ratione sui ac proximi, tum ratione superiorum.

Egregie hunc Iustificationis fructum, *Libertatem videlicet Spiritus*, B. Lutherus expendit, peculiari, eoque insigni libello: *DE LIBERTATE CHRISTIANA*, quem vti sæpiuscule citamus, Ven. Dn. D. Antonius, Præceptor ætatem colendus, anno superiore edidit. Fuscè vero illic, non minus, quam pie, de proposita sibi materia disserit Lutherus, adstruendo, conciliandoque duo illa rationi παρδοξα: *CHRISTIANVS HOMO OMNIVM DOMINVS EST, LIBERRIMVS. Et: CHRISTIANVS OMNIVM SERVVS EST OFFICIOSISSIMVS, OMNIBVS SVBIECTVS.* Ad quem Megalandri libellum, sollicita evolutione dignissimum, Lectores remittimus, vbi degustanda eisdem propinauerimus, quæ ibi p. 30. §. LIX. leguntur, sequentia: *Quis ergo comprehendere queat, diuitias & gloriam Christianæ vitæ, quæ omnia possidet & habet, & nullius indiget, peccati, mortis, inferni domina, simul tamen omnibus, serua, & obsequiosa, & vtilis, sed quæ [pro dolor!] hodie ignota est, nec predicatur, nec queritur, ADEO, VT PRORSVS NOSTRVM NOMEN IPSIMET IGNOREMVS, cur Christiani simus & vocemur: CERTE A CHRISTO SIC VOCAMVR, NON ABSENTE, SED INHABITANTE IN NOBIS, id est, dum credimus in eum, & inuicem mutuoque sumus ALTER ALTERIVS CHRISTVS, facientes proxima, sicut Christus nobis facit &c.* De huius vero abusu Libertatis, quæ spiritus esset debet, a securis nihilominus ad carnem transfertur, in Comment. in Epl.

Epl. ad Gal. c. V. sic conqueritur: Maior pars hominum carnaliter intelligit doctrinam DE FIDE, & LIBERTATEM SPIRITVS in libertatem carnis rapit. Hoc cernere est hodie in omnibus vire generibus, superiorum & inferiorum. Omnes iactant se EVANGELICOS, iactant CHRISTIANAM LIBERTATEM, & tamen interim obsequentes suis cupiditatibus, conuertuntur ad auaritiam & voluptates, superbiam, inuidiam &c. Tu vero Fili Dei, Iesu Christe! vindica nos in libertatem, vt simus vere liberi; & non velut malitia velamen habentes libertatem, sed vt serui Dei. Ioh. VIII. 36. 1 Pet. II. 15. 16.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. De hac Libertate Christiana pasim, dum de Iustificatione, Votis Monast. Ritibus Ecclesiast. agunt, De Libert. circa Adiphora vid. p. 791. B. Lutherus loco cit. & in suis Scriptis toties totiesque B. Chemnitius LL. Th. P. III. p. m. 40. qu. IV. Hutterus in Compendio Loco XIX. &c. Doct. Breithaupt. Instit. Theol. L. III. c. III. §. I. p. 363. seqq. Theol. Cred. & Agend. L. III. c. III. Th. I. p. 164. seqq.

APHORISMVS XX.

Libertatem Spiritus indiuiduo passu *υιοθεσια*, seu ^{De Adoptione, Pace, & Gaudio in Spiritu S.} Adoptio comitatur. cuius adoptionis Spiritus, testimonium reddit spiritui nostro, quod Filii simus & heredes Dei, filialemque in nobis clamorem, Abba Pater, excitat. ^{Ioh. 1. 12. 13. Rom. 8. 15. 16. 17. 1 Ioh. 5. 4. 10. Gal. 4. 7. Rom. 5. 1. 2. c. 14. 17. Phil. 4. 7. &c.} Præstantior ea est adoptione humana, vel eo maxime, quod hæc sine generatione naturali fiat; illa supernaturalem ex Deo regenerationem supponat; hæc peritura; illa æternæ hereditatis nos reddat compotes. Ex dulcissimo adoptionis testimonio, pax & gaudium in Spiritu S. placidissime exoritur; quæ pax, præsidium fidelibus adeo firmum est, vt corda eorum & mentes, in Iesu Christo ad vitam æternam custodiat.

E

Ita

Ita D. Io. Olearius Vniu. Theol. Art. XCIV. p. 707. non refragante Orthodoxorum consensu, Adoptionem inter fructus Iustificationis numerat, eamque definit, *quod sit credentis, ex aliena peccatorum, in Dei familiam translata, per & in Filio unigenito, in Dei Filium receptio &c.* Et ibidem Obs. I. hoc modo scribit: Adoptio est summum Dei beneficium & Spiritus S. donum, summaque Christianorum gloria, ex Christi merito orta, & credentibus communicata ἐξουσία, Ioh. I. 12. licentia, potestas, auctoritas, & caelestis dignitas, vt liceat gaudere hoc privilegio (ab ἐξουσία, licet) & potestatem exercere, velut ἐξουσίας, siue Superiores & Magistratus, Rom. III. 1. *Quae dignitas, vere est inexplicabilis, i. Ioh. III. 1. Videte ποσανην ἀγάπην, quae, qualis, quanta sit illa dilectio, vt non solum nominemur, v. i. sed etiam simus filii Dei, v. 2. & quidem tales futuri, qui ipsi sint similes, & summi Regis filii, & ipsi Reges coram Deo. Apoc. I. 6. Precamur itaque Deum, vt, disiecto per Filium, regno satanae, suum ipsius, quod est Iustitia, Pax & Gaudium in Spiritu S. erigat in nobis, atque stabiliat. Immo, presidio suae illius pacis, quae omnem exsuperat mentem, corda & mentes nostras custodiat in Christo Iesu. Rom. XIV. 17. Phil. IV. 7.*

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

D. Brochmandus in Syllemate Art. de Iustificat. Sect. III. p. m. 190. Olearius l. c. Konigiuss Theol. Post. P. III. §. 561. p. 208. Baierus in Compend. Parte III. c. V. §. XIV. p. m. 762. Et, citante eodem, Hopffnerus de Iustific. Disput. VII. IIX. IX. &c. D. Breichaupt Inst. Theol. L. III. c. III. §. II. p. 372. seqq. Idem Thef. Cred. & Agend. Lib. III. Th. II. p. 167. seqq.

APHORISMVS XXI.

De Vnctione, &
obsignatione.

1. Pet. 2, 9.
2. Cor. 1, 21 22.
3. 5, 5. Eph. 1,
13. 14. & c. 4,
29. 30. 1. Ioh. 2,
27. Rom. 5, 2.
3. 4. &c.

EX eodem gratiae misericordiae fonte, ipsa quoque emanat Vnctio, qua renatus & iustificatus, virtute Vnctionis Christi, qui nobis in Propheetam, Sacerdotem, Regem vnctus est, Spiritus S. delibutus, donis eius ad exercendum regalis Sacerdotii spirituale officium, instruitur.

Τεκμήριον
Vnctio-

Vnctionis præsentis, caritas Dei est, per Spiritum S. in nostris effusa cordibus. Vnctionem hanc vna cum reliquis Iustificationis fructibus, Spiritus S. ex euangelicis promissionibus dum confirmat, testimonium suum instar sigilli & arrhæ, seu depositi, stabiliendo; Obsignatio hinc, atque Arrhabo dicitur.

Adposite huc facit illud D. Calouii Theol. Posit. Sect. IV. Tit. II. c. X. Th. II. p. 511. quod ita habet: *Christianus, est homo renatus, QUATENUS a Christo accepit charisma, vel unguentum, Spiritum Sanctum.* Et mox in adnexa §. *Ideo dicuntur Christiani a Christo, vncto illo Domini, quia participes facti sunt eiusdem in vnctione Spiritus S. Pf. XLV. 8. &c. Quo ipso innuit curatissimus Theologus, suo haud fatiscere nomini eos, qui externa modo professione, non vero illius virtute Vnctionis sint Christiani, a qua tamen suum accipiant nomen. Conf. eund. ibid. p. 510. Th. I. & subnexa §. vbi vnctionis huius ope, donis nos instrui, & consecrari docet: vt simus: MYSTICI PROPHETÆ, alios docendo, cum ab Vnctione edocti simus ipsi, Ioh. II. 27. SACERDOTES, Deo nos offerendo, Rom. XII. 1. 2. & pro aliis apud Deum intercedendo 1 Tim. II. 1. ac RECES, super Diabolum, Carnem ac Mundum dominando, hostesque illos subiugando I. Ioh. V. 4. Ioh. XVI. 33. Rom. XVI. 20. Eph. VI. 12. seqq. adde Hebr. XII. 1. 2. 3. 4. seqq. Heic quæres (verba sunt Lutheri in Lib. de Libert. Christ. laudatæ edit. Hallens. p. 18. §. 36.) si OMNES, qui in Ecclesia sunt, SACERDOTES sunt, quo nomine discernentur ii, quos nunc SACERDOTES dicimus, a LAICIS? Respondeo: Vocabulis istis, SACERDOS, CLERICVS, SPIRITVALIS, ECCLESIASTICVS, iniuria facta est, dum a reliquis Christianis omnibus, translata sunt ad paucos istos, qui nunc usu noxio, dicuntur Ecclesiastici. Scriptura enim S. nihil discernit inter eos, nisi quod MINISTROS, SERVOS, OECONOMOS appellat, -- qui ceteris seruiant ministerio verbi, ad docendam Fidem & Libertatem fidelium. Nam etsi verum est, NOS omnes (puta fideles) AEQUA-*

LITER SACERDOTES ESSE, NON TAMEN POSSVMVS, NEC, SI POSSEMVS, DEBEMVS PVBLICE OMNES SERVIRE ET DOCERE. Sic Paulus 1. Cor. IV. Sic nos existimet homo, sicut MINISTROS Christi, & DISPENSATORES mysteriorum Dei. Ad insignem hunc Lutheri locum, citatur ibid. Sckendorffii Lib. I. Hist. Luth. §. 6. f. 100. (1. 4. 5.) f. 144. (b.) & Indice III. ad A. 1520. n. II. Suppl. (3.) f. 149. (f.).

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

D. Calovius l. c. Danhauerus Hodosoph. Phæn. IX. p. 938. Rnd. Dn. Ioh. Simonides Catech. Bohem. p. 357. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. III. c. III. §. II. p. 373. Idem Theol. Cred. & Agend. Lib. III. c. III. Th. II. qu. 4. §. p. 167. 168.

APHORISMVS XXII.

De Vnione cum
Christo mystica.

2. Pet. 1, 4.
1 Cor. 6, 15. 16.
17. & 19. Ioh. 15.
1. 2. 4. Eph. 5,
30. Gal. 2, 19.
20. Ioh. 14, 23.
c. 15, 5. Act. 9,
4. 5, &c.

FRUCTUS Iustificacionis omnes, Vnio cum Christo mystica, in se complectitur; estque arctissima, vera ac realis, haud vero essentialis, diuinæ pariter ac humanæ Christi naturæ, cum iustificato coniunctio, qua Christus vnus cum fidei sit Spiritus, eum inhabitat, diuinæ indolis participem reddidit, in ipso & per ipsum ita operatur, vt quæ agit, aut patitur fidelis, ea sibi Christus appropriet.

B. Lutherus l. c. p. 12. §. 21. 22. Tertia, inquit, Fidei gratia incomparabilis hæc est, quod animam copulat cum Christo, sicut Sponsam cum Sponso, quo Sacramento (vt Apostolus docet) Christus & anima efficiuntur VNA CARO. Quod si vna caro sunt; verum inter eos matrimonium, immo, omnium longe perfectissimum, consummatur (cum humana matrimonia huius vnicui figure sint tenues) sequitur, & omnia eorum communia fieri, tam bona, quam mala, & quæcunque Christus habet, de iis, tamquam de suis, præsumere & gloriari posse fidelis anima; & quæcunque anima sunt, ea sibi arroget Christus, tamquam sua. Conferamus ista, & videbimus inestimabilia. Christus plenus est Gratia, Vita & Salute: anima plena est peccatis, morte & damnatione. Intercedat iam fides, & fiet, vt Christi sint peccata, anima vero gratia, vita & salus &c. Variis præterea sub schematibus

tibus Scriptura hanc cum Christo Vnionem fidelium proponit. Ita dicitur non Christi tantum, Eph. III. 17. c. II. 22. sed totius quoq; SS. Trinitatis inhabitatio ac mansio in cordibus nostris, Ioh. XIV. 23. Christum inter & nos mutua agnitio, Ioh. X. 15. XV. 10. XVII. 21. &c. Palmitum in vite Christo infusio, Ioh. XV. 1. 2. seqq. Membrorum & Capitis coniunctio, Eph. I. 22. 23. Huc & Canticum spectat Salomonæum, col. Ezech. XVI. 8. 9. Of. II. 19. 20. seqq. Certe D. Io. Olearius Vniu. Theol. Art. XCIV. p. 803; plane adfirmat, dari in hoc mysterio, *verissimam*, non solum respectu miseræ, sed etiam respectu gloriæ, *communicationem, Idiomaticum, Axiomaticum, Apotelesmaticum*; quæ ibi fuse legantur. Ex huius vero intimæ communionis iucunditate longe suavissima, (quippe quæ æternæ vitæ prægustus est, Heb. VI. 4. 5.) gloriatio in afflictionibus, & animus ad quodlibet pro Christo sufferendum promississimus, enascitur, Rom. V. 3. VIII. &c. spernere edoctus. quidquid illecebrarum mundus habet, tamquam a Patre non emanantium, 1 Ioh. II. 15. 16. Id vero omne, sub spe viua futuræ gloriæ Dei, 1 Pet. I. 3. 4. *Cuius itaque cor, hæc audiens, non totis medullis gaudeat*, exclamat Megalander Lutherus, *Et tanto solatio accepto non dulcescat in amorem Christi*, Conf. 1 Cor. II. 7. 9. *Adglutinemur EIA! Et nos Domino, VT VNVS CVM EO SIMVS SPIRITVS*; *Et per maximæ ac pretiosa illa promissa, quæ nobis donauit Deus, efficiamur DIVINAE CONSORTES NATURÆ, elapsi ex corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem.* 1 Cor. VI. 17. 2 Pet. I. 4.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

- B. Lutherus l. c. & in scriptis suis passim effusissime. B. Seb. Schmidius in Disput. Academ. De Coniugio Mystico. D. Olearius l. c. D. Calenius Theol. Posit. Sect. IV. c. VIII. p. 502. seqq. & c. IX. p. 505. seqq. Königius Theol. Posit. P. III. §. 564. seqq. p. 209. seqq. Rnd. Dn. Simonides Catech. Bohem. p. 3. lin. 4. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. III. c. III. §. II. p. 375. lin. 4. seqq. Idem Theol. Cred. & Agend. L. III. c. III. Th. II. qu. 7. 8. p. 169.

APHORISMVS XXIII.

TAmetsi autem bonorum, quæ iam commemorauimus, fideles in hac vita, virtute meriti

De Renouatione.
Rom. 7, 17-
& c. 6. toto

c. 12, l. 2. Gal.
5, 24. Rom. 8,
13. 14. Ephes. 4,
22. 23. 24. Col.
3, 5, 8. 9. 10. &c.
Iac. 1, 18. 21. 1.
Ioh. 3, 9. Tit. 3,
5. Ioh. 6, 56.
Gal. 5, 6. Act.
15, 9. 1. Pet. 1,
5. seqq. c. 4, 1.
Hebr. 12, 3. 4. 5.
Pl. 119, 71. 75.
Phil. 1, 9. 10.
1. Cor. 2, 15.
Hebr. 5, ult. &c.

riti Christi, vere omnino fiunt participes; manente nihilominus peccati originalis apud eos radice, Renouatione, seu Sanctificatione, prout hæc Iustificationem sequitur, perquam certe indigent, ne habitans in iis peccatum recrudescat, & dominium, quod semper adfectat, denuo obtineat, sed vero hebetetur in dies, ac eneruetur, & contra, Iustificationis fructus, excolantur, conferuenturque. Isthæc Renouatio, cum nihil sit aliud, quam pœnitentia quotidiana, hinc etiam ex collatis gratiæ diuinæ viribus iisdem, quibus pœnitentia partibus, Mortificatione, putata, & Viuificatione, hic actiue se habentibus, ita absoluitur, vt facultates renati omnes, magis atque magis instaurentur, immo ipsa etiam membra corporis arma fiant iustitiæ. Medium eius est Euangelium & Sacramenta, horumque *ληπτικὸν* Fides, per caritatem efficax. his lex cum cruce, ad producendam mortis & resurrectionis Christi viribus dignam abnegationem, famulatur. Ex fidei Renouationis exercitio *Δοκιμασία* spiritualis, cum sensibus exercitatis, redundat.

Caueamus omni studio, *NE IUSTIFICATIO cum SANCTIFICATIONE confundatur*; licet huius, radix a subiecto Iustificationis *haud diuellenda sit*. Certe enim *vera*, viua, atque practica illa fides, quæ *solum, vtut non qua talis*, iustificat, non potest non, exclusa omni temporis mora, *iustificatum illico sanctificare*. Vna quippe eademque est fides, tum quæ *iustificat*, tum quæ *sanctificat*; nisi quod illius sit, *MERITVM CHRISTI APPREHENDERE*,

RE,

RE, huius, ex eiusdem ἐνεργεία PER CARITATEM OPERARI. Hinc curare omnino Königius Theol. Posit. P. III. §. 577. p. 212. Momentum, inquit, Unionis cum Christo, Regenerationis, Iustificacionis, Renouationis, idem omnino est: sunt enim hæc apotelesmata simul & in instanti: addit: est tamen unum altero prius, quoad nostrum concipiendi modum, ob diuersa connotata. Placent præterea, quæ hanc in rem Form. Conc. ex Luthero verba adducit, p. 692. circa fin. Bene (legitur ibi) conueniunt, & sunt connexa inseparabiliter, Fides, & bona opera: sed SOLA FIDES est, quæ apprehendit benedictionem, sine operibus: & tamen NVNQUAM EST SOLA. Legatur eadem pagina curatius, col. Apol. A. C. p. 107. ad Iac. II. 24. D. Brochmandi Comment. in eundem locum. Hurteri Compend. de Iustific. q. 19. seqq. Renouationis autem in hac vita imperfectio, quanta quanta sit, tantum abest, vt securitatis præsidium esse possit, vt ea potius D. Paulo faces subdiderit & calcaria, ad Renouationem eo maiori studio ac fidelitate continuandam. Phil. III. 12. seqq. & v. 15. seqq. it. v. 7. seqq. Si enim auari, quos haud latet, non se vniuersos totius mundi thesauros, coaceruare posse, rem tamen suam familiarem, augere nihilominus multo labore ac sudore nituntur; quidni studium, isthoc filios lucis deceat? vt, quamuis perfectionem in Renouatione debitam assequi haud possint, tamen satagant ad eam contendere assiduo. Etenim, noua vita, inquit Lutherus, sic instituenda est, vt assidue crescat, & porro pergendo incrementa accipiat. Catech. Mai. p. 556. lin. 13. Nobis itaque, illud dictum esse, certo existimemus, si ipsius quidem Spiritus Christi facti sumus compotes, quod Paulus suis perscripsit Romanis: *Adhortor vos, Fratres! per miserationes Dei, vt sistatis corpora vestra, hostiam viuam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum; & ne vos configurate seculo isti, sed transformate vos, PER RENOVATIONEM MENTIS VESTRÆ, ad hoc, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona illa, placent at perfecta.* Rom. XII. 1. 2. *Respiciamus ergo nosmet ipsos, ne per damus, quæ egimus, [ἀεὶ ἑσπράσσωμεθα]* sed vt mercedem plenam recipiamus. 2 Ioh. v. 8. Conf. Gal. III. 4.

CON.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. p. 613. & Apolog. A. C. passim, in primis vbi de Dilectione Dei, & Impletione Legis agit. p. 83. seqq. Brochmandus in System. Artic. XXIII. & XXIV. Sect. V. p. 192. seqq. D. Olearius Vniu. Theol. Art. XCVII. p. 805. seqq. Baierus in Compend. P. III. c. VI. p. 765. seqq. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. III. c. III. §. III. p. 378. seqq. Idem Cred. & Agend. Lib. III. c. III. Th. III. p. 170. seqq. &c.

APHORISMVS XXIV.

De Bonis Operibus.

Gal. 5, 6. Iac. 2, 18. Luc. 17, 10. Matth. 5, 16. 1 Pet. 3, 16. 1 Cor. 10, 31. 32. Rom. 8, 14. 2. Pet. 1, 3. seqq. &c. 1. Petr. 1, 14. Rom. 8, 1. 2. Pet. 1, 9. Iac. 2, 17. &c.

Fidei iustificantis indicia, & Renouationis fructus, sunt Bona Opera, siue interna, siue externa, non meriti, sed beneplaciti diuini, atque ædificationis proximi ergo, per gratiam regenerationis, iuxta legis normam, præstita. Quæ licet imperfecta sint, ac multis modis contaminata, placent tamen Deo, tamquam in filiis obedientiæ, propter Christum. Absentia Bonorum Operum, gratiam regenerationis, & ipsam adeo fidem exoleuisse, certissimo est indicio.

In proponenda Bonorum Operum doctrina B. Chemnitius LL. Th. P. III, De B. O. c. III. qu. 2. p. m. 16. hanc tradit. Methodum: *ut primum accipiatur Spiritus, qui hominem renouet. Accipitur vero Spiritus regenerationis, non ut habitus ex crebris actionibus, neque ex operibus Legis, Gal. III. 2. sed ex auditu fidei. Et tamen a Lege faciendum est initium, ad penitentiam excitandam. Lex enim monstrat peccata & operatur iram, unde oritur CONTRITIO. Et vero hæc contritio sit salutaris, necesse est, ad eam accedere FIDEM. Legi itaque subiungenda est, doctrina Euangelii, de RECONCILIATIONE propter MEDIATOREM: cum hac vero doctrina reconciliationis, coniuncta est DONATIO SPIRITVS S. qui mentem renouat & novos motus excitat in corde, congruentes legi Dei; ut homo iam incipiat Deum diligere, & Lege eius condesclari. Et quando ita Spiritus S. scribit Legem in corda credentium, TVM DEMVM FIVNT VERE BONA OPERA. Nam quando arbor bona est effecta, Matth. XII.*

XII. 33. tum fructus etiam sunt boni, qui ex bona radice proficiuntur.
 Hæc B. Chemnitius. Male ergo, siue docendo, aliis, siue agendo, sibi ipsis, consulunt, qui isto gratiæ ordine, vt temere loqui amant, *presupposito*, hoc est fere, penitus neglecto, tum ab aliis, tum a se ipsis, opera extorquent mere legalia. Quare docenda est primum *penitentia*, & hinc demum *requirendi, fructus digni penitentia*, Matth. III. 2. & 8. Ceterum ob rationem peruersam, de *adunata*, seu, vt malunt, impossibilitate veri Christianismi, turpiter ac indignissime conuergentem, meditandum in timore Domini proponimus 2. Pet. I. totum, col. I. Pet. I. & Eph. I. & c. Fidem autem non per Bona Opera, sed in virtute Dei, 1. Pet. I. 5. & vsu verbi ac Sacramentorum conseruari, Libri Symbb. p. 705. 706. optime docent: vbi & epicurea illa opinio, *fidem esse posse in proæretice peccantibus*, retunditur, ipsaque vocatio bonis operibus firmanda requiritur, ibid. p. 706. l. 22. 2. Petr. I. 10. in quibus, tamquam in exercitiis, fides ipsa crescat & roboretur magis atque magis. Conf. Apol. A. C. p. 117. lin. 14. & p. 86. lin. 15. 1. Petr. I. 6. 7. Denique, de Impletionem Legis, & Perfectionem Christianorum in hac vita, cum, vti circa Articulos Fidei omnes, ita hic etiam, *ne latum quidem unguem*, discedamus a Libb. Ecclesiæ nostræ Symbb. eosdem curate, observandos etiam atque etiam statuimus. A. C. Art. XX. p. 15. seqq. Apol. A. C. p. 83. vsque ad p. 144. Art. Smal. p. 315. 336. & alibi passim. *Deus vero pacis, qui magnum illorum ouium, per sanguinem pacti æterni, Pastorem, Dominum nostrum Iesum ex mortuis reduxit, instauret (καταρτίσσει) nos ad omne opus bonum, ad præstandam ipsius voluntatem. efficiens in nobis, quod gratum sit in conspectu suo, per Iesum Christum: cui sit Gloria in secula seculorum.* Amen. Hebr. XIII. 20. 21.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. VI. p. 11. & Art. XX. p. 15. Apol. A. C. p. 83. seqq. Art. Smal. p. 336. & c. B. Chemnitius LL. Th. P. III. p. m. 9. seqq. B. Gerhardus LL. CC. Tom. IV. Kromayerns Theol. Pos. Polem. Loco XII. p. m. 674. seqq. & c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. III. c. III. §. IV. p. 394. Idem Theol. Cred. & Agend. L. III. c. III. Th. III. IV. p. 170. seqq. Ibid. Theol. Moral. Theol. II. q. 4. seqq. p. 185. seqq.

F

APHO-

APHORISMVS XXV.

De Lege & Eu-
angelio.

Gen. 2, 3. 16.
17. 24. c. 9, 6.
Ex. 20. Gal. 3,
10. 13. Luc. 4,
22. Rom. 1, 16.
1 Cor. 1, 18. &c.

Bonorum Salutis media *domina*, sunt Verbum & Sacramenta. quorum illud in Legem & Euangelium ita dispescitur, vt Lex doctrina sit a Deo post lapsum denuo patefacta, reliquias Legis naturæ cordibus inscriptæ explicans, & cum obligatione docens ac præcipiens, quales non esse, quæ facere, & quæ omittere oporteat, exigens simul obedientiam consummatissimam; qua non præstita, damnationem annunciat æternam, nisi fiat Reconciliatio per Christum. vnde etiam Lex, pædagogus ad Christum dicitur: Euangelium autem verbum gratiæ, quod Christum, tamquam vnicum inter Deum & homines Mediatorem, qui legi perfectissime pro nobis satisfecerit, & nos Deo reconciliauerit, vna cum beneficiis eius omnibus, nobis offerat, ipsa perterrefacta corda soletur, & vires credendi conferendo, erigat, saluet, nec non ita viuificet, vt idonei ad omne opus bonum reddamur. At vero Euangelium late sumtum, ipsam quoque concionem poenitentiaæ notat; pariterque Lex late sumta, Scripturam vniuersam.

Vt vsus discriminis Legis & Euangelii, ita per totam se diffundit Theologiam, vt bene sibi constet. illud B. Lutheri in Com. ad Gal. c. II. Tom. IV. Ien. lat. f. 40. b. *Qui bene nouit discernere Legem & Euangelio, is gratias agat Deo, & sciat se esse Theologum.* Hinc maiores nostri, præter Apol. A. C. quæ hac de re passim perquam grauitè, in Form. Conc. p. 592. it. p. 705. seqq. accurata

accurata diligentia Legis & Euangelii discrimen adseruandum in Ecclesia, pragnantibus inducti rationibus, censuerunt. Neque isthoc Legis & Euangelii discrimen, *in solo tantum intellectu*, docendo; sed vel maxime *in ipso Conuersionis negotio*, & apud iam conuersos, *in assiduo renouationis exercitio*, obseruetur, necesse est. Certe enim, vti sine isto discrimine vera esse nequit Conuersio; ita & Renouatio, quam *Euangelicam esse* oportebat, eodem rite non adhibito, *in anxiam nimis & legalem* degenerabit, vel omnino nulla euadet. *Hic Rhodus, hic salta!* Propria id *Lutherum* experientia docuit, vnde gra- uiter in Com. cit. c. III. *Speculatiue*, inquit, *coniunguntur facillime, sed practice ea coniungere, est omnium difficillimum; id quod propria experientia saepe didici.* Item: *Discamus recte distinguere tem- pus Legis & Gratie, NON VERBIS, SED AFFECTU, id quod est omnium difficillimum.* Ideo Paulus suum hortatur Timotheum, non erubescat, *ὀρθοταύβντα*, recte secantem verbum veritatis. 2. Tim. II. 15. col. 1. Tim. I. 5. seqq. Ceterum nihil dubitandum est, quin Verbum Legis & Euangelii, quatenus vere ac legitime, siue a digno, siue ab indigno proponitur, Phil. I. 15. 16. 18. efficaciam diuinam in audientibus, legentibus, & meditantibus exferat. De ipsa vero Legis in Moralem, Cærimoniam, Iudicalem, diuisione, vsu item apud securos, iustificandos & iustificatos, triplici, vid. iam iam ad- uocandi.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. qui circa Legis & Euangelii doctrinam enucleandam, curatis- sime versantur, præter l. c. in Apol. A. C. De Impler. Legis. De Dilectio- ne Dei. Art. Smalc. p. 318. & p. 329. B. Lutherus in Prafat. in Ver. Test. Philippus in LL. Th. p. m. 147. & recensente B. Chemnitio in Loco de Lege Dei. D. Kromayerus Theol. Pof. Pol. L. XIII. & XIV. Calouius & ceteri. D. Breithaupt Instit. Theol. L. IV. c. R. p. 443. §. I. & §. II. Id. Thef. Cred. & Agend. L. IV. c. II. Th. I. p. 229. seqq.

APHORISMVS XXVI.

Addidit DEVS verbo reuelato & Sacramenta, ceu *De Baptismo,*
figilla gratiæ, quorum vt in V. T. duo erant *& Cæna Do-*
mini.

Matth. 28, 19. Circumcisio & Pascha, ita ad horum in N. Test.
 Ioh. 3, 5. Col. 2, ex institutione Christi, analogiam, duo itidem,
 11. 12. 13. col. Baptismum videlicet, qui Sacramentum initia-
 Rom. 2, 29. Tit. tionis, & Coenam Domini, quæ Sacramentum
 3, 5. Gal. 3, 26. confirmacionis, dicitur, numeramus. Bap-
 27. Et Matth. tismus est actio a Christo in N. Test. instituta, qua
 26, 26. seqq. homines per Ministerium Ecclesiæ aqua (siue id
 Marc. 14, 22. confirmacionis, dicitur, numeramus. Bap-
 1. Cor. 10, 16, 17. tismus est actio a Christo in N. Test. instituta, qua
 c. 11, 16. c. 12, 13. homines per Ministerium Ecclesiæ aqua (siue id
 Ioh. 6, 56. &c. baptismum est actio a Christo in N. Test. instituta, qua

Monemus hic cum Aug. Conf. quod Sacramenta instituta sint,
 non modo ut sint nota professionis inter homines, sed magis ut sint signa
 & testimonia voluntatis Dei erga nos ad exciendam & confirmandam fi-
 dem in his, qui vivunt, proposita. A. C. p. 13. Impium ergo &
 damnandum est, docere & existimare, quod Sacramenta non ponenti
 obicem, conferant gratiam ex opere operato sine bono motu viventi.
 ITA NOS DOCEMUS, quod in usu Sacramentorum debeat fides accede-
 re, quæ credat illis promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in Sa-
 cramento offeruntur. Et est ratio plana & firmissima. Promissio enim est
 inutilis

inutilis, nisi fide accipiatur. At Sacramenta sunt signa promissionum. Igitur in usu Sacramentorum debet accedere Fides &c. Vid. Apol. A. C. p. 203. lin. 3. & l. 12. p. 267. seqq. Quemadmodum vero efficacia Verbi, quoad pure id proponitur ac legitime, (vid. Lutheri Postil. Eccl. Edit. Berol. p. 88. Also siehest du ic.) a persona & vita Ministri haud dependet; ita & efficacia Sacramentorum, non ex Ministri pietate vel impietate, sed ex infusione ac promissione diuina, modo huic administratio sit consentanea, æstimanda est. cui scrupulo medetur A. C. Art. VIII. dum inquit; licet vii Sacramentis, qua per malos ministrantur. Conf. Apol. A. C. IV. De Eccl. De pia rituum Baptismi significatione, studiose legatur B. Lutherus in Catech. Mai. p. 548. 549. qui ibidem p. 551. l. 4. ita scribit: Cuique Baptismus ita habendus est, ut amictus quotidianus, quo indutus semper debet incedere, ut numquam non in Fide eiusque fructibus inueniatur, ut coercitio veteris hominis concupiscentiis, in nouo adolescat. Si enim Christiani perhiberi contendimus, Baptismi opus sedulo nobis exercendum est, unde Christiani appellationem promeremur. Si quis autem exciderit, ille accedat vicissim. Pædobaptismum iuste adsertum vide in Apol. A. C. p. 156. 157. quo sine si decedere contingat infantes Christianorum, valet illud: Non priuatio, sed contemptus baptismi damnat. De usu denique & fructibus S. Cœnæ, conuivis eius dignis æque ac indignis, causis præterea, quibus ad vtendum Cœna Domini sapiuscule inuitamur, commendanda merito est Lutheri Catech. Mai. ap. 551. vsque ad p. 569. Alioquin peccantes proæreticæ, nec quidquam de correctione atque emendatione animi cogitantes, a sacro hoc epulo arcendos tam diu censemus, donec indubia veræ penitentia indicia penes eos licuerit obseruare. Nulli enim (inquit A. C. p. 24. lin. 6.) admittuntur, nisi prius explorati.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. IX. & X. p. 12. it XIII. p. 13. Apoc. A. C. p. 156. & p. 200. 267. seqq. Art. Smalc. p. 329. 330. Catech. l. c. & c. B. Chemnitius in LL. Th. P. III. Idem in Tractatu de Fundd. sanæ Doctr. Cœn. D. & c. D. Breithaupt. Instit. Theol. L. IV. s. III. p. 461. seqq. s. IV. p. 469. seqq. Id. Thes. Cred. & Agend. Lib. IV. c. II. Th. II. p. 234. & c.

APHORISMVS XXVII.

De Ecclesia.

Matth. 16, 18.
c. 28, 19. Marc.
16, 15. 16. Psal.
83, 4. Et Rom.
2, 28. 29. 2 Tim.
2, 19. 1. Pet. 3, 4.
Eph. 1, 22. 23. c.
3, 17. 18. c. 43.
seqq. Item Eph.
2, 20. c. 3, 5. c.
5, 27. Act. 1, 8.
c. 10, 25. Deni-
que, 2. Thes. 2,
3. seqq. Apoc.
12, c. 17, 6.
seqq. &c.

Hicce mediis colligit sibi Deus Ecclesiam, quæ
visibilis, coetus est hominum per Verbum
& Sacramenta, mediante Ministerio, e mundo
profano, vocatus, vera & vnanimi diuinæ verita-
tis professione, & Sacramentorum administratio-
ne legitima, conspicuus. Hunc Concilia, ad
normam Verbi Diuini iuste instituta, repræsentant.
Eadem Ecclesia, prout inuisibilis spectatur, est
Corpus Christi mysticum, e mundo hypocritico,
per veram fidem ad communionem Filii selectum,
adeoque turbæ promiscuæ incognitum, ex Capite
suo Christo, vitam accipiens & dona spiritualia.
Idem hic coetus, diuersè ita spectatus, vnus, san-
ctus, catholicus est, ac licet deficiibilis, manebit
tamen, sed durante militia, inconcussus, ad con-
summationem vsque sæculi, adserendus tandem
triumpho æternum duraturo, illa sui parte, quæ
Christum digne & finaliter amplexa fuerit. Op-
ponitur eidem regnum Antichristi visibile & inui-
sibile.

*Concedimus, quod hypocrita & mali in hac vita admixti sint Ec-
clesia, secundum externam societatem signorum Ecclesie, hoc est, Verbi
professionis & Sacramentorum, præsertim si non sint excommunicati;
sed vero illi, in quibus NIHIL AGIT CHRISTVS, non sunt MEM-
BRA CHRISTI, igitur neque Ecclesia. Apol. A. C. p. 144. l. 22. p.
145. l. 9. Certe enim Ecclesia, non est tantum societas externarum re-
rum ac rituum, sicut alia politie; sed principaliter est SOCIETAS FI-
DEI ET SPIRITVS S. IN CORDIBVS. Ibid. p. 144. l. a fin. 3. le-
ge &*

ge & seqq. Quæ demum spiritualis societas fidei, communio-
nem veram Spiritus constituit, vt quiuis fidelium certus esse
queat, quidquid vlli inter Fratres a Deo datum est, id suo etiam
bono datum; quidquid vlli promissum, id & sibi promissum esse;
omniumque orationes pro se quoque fundi: quæ commu-
nio obligat eos vicistim, vt omnia bona malaue credant com-
munia, aliis compatiantur, alios iuuent, diligant, pro aliis o-
rent. 1. Cor. XII. 18. seqq. Rom. XII. 4. 5. 6, Eph. IV. 15. VI. 18. Lu-
therus Tom. I. len. p. 356. Contra ea impii, ab ista Spiritus com-
muniõne alienissimi, hoc tanto, tamque dulci solatio destitu-
untur, & si plagis a Deo cadantur, (crux enim vera piorum est)
suas, neque aliorum esse, inter prauæ angores conscientia, mi-
sere ingemiscunt. Ps. XXXII. 10. Quis ergo non malit, *Regni Dei,*
quod est Iustitia, Pax & Gaudium in Spiritu S. fieri ciuic, Rom. XIV. 17.
Hebr. XII. 18 - 21. seqq. XIII. 13. 14. seqq. *quam sine Christo ab aliena-*
rus esse a politica Israelis? Eph. II. 12. 13. seqq.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. VII. & VIII. p. 11. Apol. A. C. p. 144. seqq. Art. Smalc.
p. 335. & c. B. Chemnitius LL. Th. P. III. B. Gerhardus LL. CC. Tom. V.
Danhaerus in Hodosoph. Phæn. II. p. 104. seqq. & c. D. Breithaupt Instit.
Theol. L. IV. c. III. §. III. p. 474. seqq. Idem Thef. Cred. & Agend. L. IV.
c. III. Th. I. p. 239. seqq.

APHORISMVS XXVIII.

Militantem hunc Ecclesiæ cœtum, tres explent
Status Hierarchici, a Deo instituti: MINI-
STERIVM, seu STATUS ECCLESIASTICVS, ad ver-
bum & Sacramenta, clauium item, circa soluenda &
liganda peccata, potestatem, nec minus discipli-
nam, & quæ huius sunt, ecclesiasticam, legitima
vocatione separatus ac ordinatus: POLITICVS, qui
ciuili donatus potestate, ita curam gerit ecclesiæ &
reipublicæ, vt secundum leges præscriptas, diuinis
tamen non absonas, laus bonis, at vero malis operi-
bus

*De Statibus
Hierarchicis.*

Matth. 16,
18. 19. c. 18, 18.
Ioh. 20, 21. 22. 23.
Eph. 4, 11. 12. &
Rom. 13. item,
Gen. 1, 27. c. 2,
22. 23. 24. Leuit.
17. Matth. 19.
1. Cor. 7. col.
Eph. 5, 23. & c.

bus ira tribuatur: OECONOMICVS, in quo Vir & Femina, accedente vtriusque consensu debito, cum ordine diuinitus instituto haud pugnante, ad humanum genus propagandum, auxilium mutuo ferendum, & scortationes vitandas, in vnam carnem iuncti sunt per ministerium Ecclesiasticum indissolubiliter.

De Vocationis secundariæ, ad Vocationem primariam necessaria relatione, iam tum ad Aph. XIV. p. 20. 21. non nihil adnotatum est. Addimus porro, nullum vitæ genus, si in verbo Dei conueniat, temere deserendum, 1. Cor. VII. verum ex fide & caritate, Col. III. 14. 17. Hebr. X. 24. atque rerum omnium abnegatione sincera, 1. Cor. VII. 29. 30. 31. exercendum esse. Ministerium vero a Christo institutum, Eph. IV. II. efficax esse ad ædificationem corporis Christi v. 12. vitæque adseueramus; sed nec diffitemur, culpa impiorum, Ministrorum, partim ob verarum, pro auditoribus, precum, & exempli sanctimonix, partim experientix, demonstrationis Spiritus ac potentix, ipsiusque adeo ὀρθοτομίας defectum ædificationi plurimum detrahi posse. Vid. Ier. XXIII. 21. 22. 1. Cor. II. 4. 13. 14. Act. XX. 18. 31. seqq. 2. Tim. II. 15. Ceterum inter requisita, quæ Paulus a Ministris Ecclesiæ exigit, illud facile præcipuum, 1. Tim. III. 9. studiose notamus; tenere eos debere τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καρδίᾳ ἀνεσθής. Vnde adposite Danhauerus, hanc Theologiæ exhibet definitionem, Hododof. p. II. *Theologia nostras, est habitus diuinitus datus; IN CONSCIEN- TIA PVRA, AC ANIMO DEVOTO, qui hominem summe miserum efficaci doctrina ad salutem vitamque eternam reducit.* Legantur data opera, quæ Viri ἀνεσθῆσαν, ibid. a p. 10. vsque ad p. 22. adserit. Ergo nemini, NB. cito imponenda manus, 1. Tim. V. 22. nec NB. questui habenda pietas, c. VI. 5. seqq. De Magistratu, & præstando huic obsequio vid. Rom. XIII. &c. Coniugium denique sanctum, castum ac intemeratum esse debere, ceu ὕψων communionis Christi & Ecclesiæ tenerrimum, Paulus

rus grauiter docet. Ephes. V. 5. seq. Liberorum educatio, atque administratio rei familiaris, ARENA est, in qua uinci potest Diabolus. Vid. Pauli & reliqq. Apoft. in Epist. paræteses.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. XIV. p. 13. Art. V. p. 10. 11. Art. XIV. p. 14. Apol. A. C. p. 104. & p. 114. seqq. Art. Smalc. p. 334. B. Gerhardus fufissime in LL. CC. Tom. VI. VII. &c. D. Breithaupt Instit. Theol. L. IV. c. III. p. 478. seqq. Idem Thef. Cred. & Agend. L. IV. c. III. Th. Moral. p. 243. seqq. &c.

APHORISMVS XXIX.

Saluti Ecclesiæ, in hac vita vere inchoatæ, con-
 summationem adducent nouissima. Et Mors
 quidem, corporis & animæ dissolutio, ex peccati
 labe, communis omnibus, transitus est fidelibus
 ad salutem, infidelibus ad condemnationem æter-
 nam. Recipient utrique corpora sua in Resurre-
 ctione, dum Christus, ad iudicandum uiuos &
 mortuos, gloriose rediturus, atque suis hæredita-
 tem Patris, incredulis uero cruciatus æternos ad-
 iudicaturus est. Tum creaturæ mundi omnes, rati-
 onalibus exceptis, igne conflagrabit. damnati au-
 tem ad ignis infernalis poenas detrudentur, cum
 Diabolis æternum excrucianti; Electi, corporibus
 glorificatis Deo conformes redditi, æternæ ac in-
 effabili gloriæ adferentur.

Gravis illa Christi in suos Discipulos obiurgatio: *Non est uestrum, nosse tempora, siue opportunitates, quas Pater in sua ipsius auctoritate statuit*, Act. I. 7. ab intempestiuo opinionum circa nouissima, quarum ætas hæc, mirum, quam sit fertilis, aucupio, reddit nos quam alienissimos; quippe qui comper- tum habeamus, nihil tutius, consultius nihil esse, quam in regno gratiæ ita uiuere, ut ne olim regno gloriæ indigni, ci-

G

vi-

De Nouissimis.

Heb. 9, 27.

Rom. 5, 12. c. 6,

23. Luc. 16, 22.

23. &c. 1. Cor.

15, 21. seqq. Iob.

19, 25. 26. 27.

Ex. 37, 5. 6. Dan.

12, 2. 3. Heb. 9,

28. 1. Pet. 4, 5.

seqq. Matth. 25,

31. seqq. &c. 2.

Pet. 3, 10. &c.

vitae caelesti, excludamur. Apoc. XXII. 14. 15. Beati quibus illud Pauli haud fictum est: *Nemo nostrum sibi vult, nemo sibi moritur; sed sine vivimus, sine morimur, Domino morimur; sine ergo vivimus, sine morimur, Domini sumus.* Rom. XIV. 7. 8. Confer. cautela Christi. Luc. XXI. 34. 35. 36. col. cum 2. Pet. III. &c.

CONSENSVS ORTHODOXORVM.

Libb. Symbb. A. C. Art. XVII. 14. Apol. A. C. p. 217. &c. B. Gerhardus LL. CC. Tom. VIII. & IX. D. Lyserus in Summario. LL. Theol. De Salutis Consummatione &c. D. Breithaupt. Infit. Theol. I. IV. c. III §. IV. p. 481. feqq. Idem Theol. Cred. & Agend. L. IV. c. III. Theol. II. p. 241. feqq.

CONCLUSIO.

Flnem itaque Dissertationi imponimus nostrae, tractatione eiusdem, a primis Theologiae capitibus, ad ipsa novissima, tamquam ultimum rerum ἀλλοσιον, perducta. FORMAM SANCTORVM VERBORVM, illa Apostoli cohortatione pensata habita: ὑποσώσεται ἕως ἡμετέρας λόγον, 2. Tim. I. 13. exhibere sedebat animo; non prout quidem exhiberi potuisset, diffuse, verum tamen, strictim modo, uti id speciminis academici ratio, & alia, quae nos circumstant, multa, permittebant. Verum super est, quod monendum simul videtur; quidquid hic, Pio Lectori sistitur, candida id ipsum mente, ceu in facie Domini, ex Scripturis adsertum, atque testimonio, seu consensu Patrum Ecclesiae nostrae illustratum esse. Aequis rerum aestimatoribus fat! Nullum enim, teste Philippo, remedium est adversus Sycophantae morsum. Nec tam circumspecte dici potest quidquam, ut caelum evitare queat. Apol. A. C. p. 144.

Sed euge, o IESU CHRISTE! quid TIBI pro his omnibus nos miseri & egeni retribuimus? Tua enim sunt omnia, & nihil a nobis petis, nisi ut saluemur: at hoc ipsum etiam TV das: & quidem accipientibus gratiam habes, propter ineffabilem TVAM bonitatem. TIBI sit gratia, quod, cum non essemus, dedisti, & essemus, cumque perditus essemus, ex gratia nobis donasti, ut bene essemus: ac, qui inde prolapsi sunt, eos rursus erigis ac reducis eo, propter ineffabilem TVAM demissionem. Precamur TE porro, perforce in nobis, TVAE, quod incepisti, opus gratiae Enimvero mundus, quem incolimus, errorum & illecebrarum, plenissimus est: ergo, doceas nos & ducas; quippe VIA & VERITAS es. Caro, quam gerimus, peccati semen altius adhuc insitum habet: igitur, ne propullulet, TVA virtute prohibe; quippe VITA es. *Satanas*, cui resistimus languidi, nos supplantare nititur: hunc TV brevis pedibus nostris subice; quippe LEO es. Et quid precemur amplius? Da, ut abs TE diuellamur numquam, sed enim TE sequamur perpetuo; per gloriam & dedecus; per convicia & laudes; uti impostores, & tamen veraces; uti ignoti, & tamen noti; ut morientes, & tamen ut vivamus; ut qui castigamur, neque tamen morte afficiamur; ut tristes, semper tamen gaudentes; ut nihil habentes, interim omnia obtinentes. DOMINE! sanctifica nos in veritate TVA, Verbum TVVM est veritas; quo sic in nobis, & per nos, TVI, non nostri, nominis gloria intendatur.

לא/לנו ויהיה לא לנו כי לשמך תן כבוד עך
חסוך עך אמתך

EXIMO ATQVE ERV'DITISSIMO
SANCTARVM LITTERARVM CVLTORI,
MATTHIAE BEL
OTSOVIA ZOLIENSI HVNGARO,
DISPVATIONIS HVIVS THEOLOGICAE AVCTORI,
PRAESES
*SALVTEM, SPIRITVS VERITATIS AC CARITATIS
PLENISSIMAM!*

LEgebam his diebus in Epistola S. BERNHARDI
CCCLXII. hæc verba: *Ipsa iam Orientalis Ecclesia tam
miserabiliter clamat, vt, quisquis non toto compatitur af-
fectis, Ecclesiae filius esse non probetur.* Quæ considerans
equidem, non poteram, quin cogitarem de Ecclesia tuæ patriæ,
quæ nobis in Europa est Orientalis, eaque tot inter calamitates
puro Augustanæ Confessionis Euangelio addicta fidelissime.
Quando enim audio, factum esse inuidia quorundam, qui se vi-
scerum ac miserationum Christi expertes gerunt, vt in Hungari-
am penetrarint scripta illa pseudotheologica, quibus contra
omnem veritatem mihi dogmata heterodoxa attribuuntur; an
non vehementer etiam atque etiam dolore afficiar, ne Ecclesiae
quidem remotiori, terrestribus malis nimium afflictæ, parcere
ab insidiis calumniarum spiritualibus eos, qui veritatem in Chri-
sto, cum precibus & consolationibus, ei potius debebant? Nec
inmerito hac de re dolens clamat illa: quicumque autem genui-
nus Ecclesiae filius existit, pariter ingemiscet, meliora optans.
Hoc animo præter cæteros tu, BELI præstantissime! vltro
venisti ad me, offerens isthanc $\text{ΤΙΟΤΥΠΩΞΙΝ ΤΥΓΙΑΝΟΝΤΩΝ ΛΟΓΩΝ}$,
quam, sine mea aut alterius ope & consilio sponte tua elucubra-
tus ipse es, tum publice disputandi animo, tum declarandi palam,
qui a Theologis Hallensibus, quos per integrum triennium,
G2 sedu-

sedulo audiuisti, nihil perceperis aliud, quam quod cum omnibus orthodoxis Augustinæ Confessionis Doctoribus exacte congruat. Quoniam vero simul a me contendisti, ut aliquid eorum, quæ ex commentationibus meis sequiorem in sensum contorta sunt, tametsi in iisdem fatis ab eo vindicata reperiuntur, hic etiam, Coronidis loco, paucis recognoscerem; en! nolui deesse huic desiderio, quoad nonnulla eiusmodi succurrunt.

Recordaris optime, quam sollicitè instillare soleam discrimen *Fidei & Caritatis, Iustificationis & Sanctificationis*; neque id ipsum non videt, qui *Institutiones*, vel *Theses fundamentales* meas, perlustrarit. His tamen omnino sepositis, Satanas inuasit in *Disputationem*, qua ego, *Respondentem* nactus iudicio pollentem præstantiore, *Theses Analogiæ Fidei generatiores*, non tam lætis dogmata, quam cibum solidiorem, seu neruos eorum ac recessus, nexumque iis penitus insitum exposui, attingens generaliora tantummodo. Impetit ille ex his præcipue hoc, quo nihil dictum innocentius: *Theologia ante lapsum & post lapsum est una, quatenus utroque in statu veritas religionis est Fides per Caritatem efficax, seu amor Dei ex toto corde.* Aduersarius ex his fingit, *Fidem & Caritatem* poni, ut *Synonyma*; quod dum conatur monstrare, in varios errores temere incurrit. (1) *Fidem*, de qua Paulus Gal. V, 6. *non fuisse ante lapsum*. si enim fides tum non fuerit, fuisset gloriæ intuitivæ status, id quod falsum; sin fuerit fides, certe fuit per caritatem efficax: id quod solum dicitur, neque agitur illic de fide, quatenus ad iustificationem refertur, vt expresse docent immediate antecedentia. (2) Per doctrinam de fide, *quatenus per caritatem efficax* consideratur, everti *Articulum Iustificationis* quod tam peruerse statuitur, ut etiam huic illa sit consequens necessario; nam de fide ad iustificationem pertinente, ceu iam diximus, actum est *Thesi præmissa*. (3) *Studium caritatis* referendum *ad Legem*, quoad hæc Euangelio opponitur: quo quidem affirmato, quid heterodoxum magis? contrarium docente Paulo Rom. III. 31. Conf. *Chemnit. de Lib. Arb.* Neque aliud vult Christus, quam adducendum esse ad Euangelium, qui vires seruandi legem obtinere velit. (4) *Euangelii non propriam esse*

esse Caritatem: licet enim fides sola iustificet, eius tamen fructus caritas, cum viribus Spiritus S. sine quibus hæc nulla, partem Euangelii posteriorem, quæ *Sanctificationis* est, constituit omnino. Cuiusmodi plura directe cum Orthodoxia pugnantia, usurpata ista oppositionis fallacia, euitari non potuere. Nec vero fidem & caritatem in Thesi mea *synonymice* adhiberi, ecquis recte sentiens haud intelligit? I. Particula, *SEU*, non infert *synonymiam*, sed *diuersum respectum* vnius eiusdemque rei: vt sensus sit; religionis veritatem si spectes ante & post lapsum respectu fidei, tum ea perspicitur inde, quod hæc per caritatem sit efficax: sin ipso caritatis respectu, prodit se per integritatem ex toto corde. II. Non agitur de veritate religionis *theoretica*, sed *practica*, quam Lutherus vertit *das rechtschaffene Wesen*, Eph. IV. & Christus, *cultum Dei in spiritu & veritate*. Ioh. IV. Vnum vero esse Spiritum Fidei & Caritatis, non obstaculo est, quo minus diuersi sint actus fidei & caritatis, immo fidei iustificantis & sanctificantis: quemadmodum ex eo, quod vna anima videt auditque, differentia inter vtrumque actum non tollitur. III. Theologia vtrobique, non *simpliciter & absolute*, vna perhibetur, sed *QUATENVS* vtroque in statu, ante & post lapsum, veritas religionis, siue sanctificationis indoles, certo modo (cont. Disputationis eius Th. IV. membrum posterius) respicitur: ratione iustificationis enim habita, Theologiam status ante & post lapsum nimium quantum differre, præcedens Thesis ostendit. Qui vero negari illud potuerit, si quis non ignorauerit Theologicum hoc axioma? *Imaginem Dei, ad quam Adam conditus fuit, aliam specie non esse ab ea, ad quam per Christum renascimur.* quod quidem ponderantem, iuxta Apol. A. C. p. 53. & 54. & Theologos, quos hanc in rem allegat *Isagoge Carpozouiana in Libb. Symb.* sane pudebit eiusmodi contradictionum.

Vides, BELI carissime! ita si notando pergere velim, me a charta desertum iri. Vt ergo concisus pergam, non sunt meliora reliqua: oportet potius mirari, ab homine Christiano, nedum Theologiæ notitiam præ se ferente, in dubium vocata sequentia esse: *Homines ad gratiam reueri non posse, nisi per intima ab negationis*

*tramitatem: quæ ipsissima est Christi regula, nihil aliud requirens, quam contritionis & fidei ordinem. it. penitentium luctam spiritus contra carnem contendere ad Iustificationis terminum, vt verba Disputationis habent, minime fideliter allegata, quæ fidelitas etiam desideratur in his; statui communionem inhaesivam cum Christo ante iudicalem ad iustificandum, multo enim aliter habent, quæ leguntur in Disputatione: Communio cum Christo iudicialis ad iustificandum non fit ante, quam communio inhaesiva ex morte Christi in peccatore sub paupertate spiritus sic firmiter inceperit, vt totus esuriat sitiisque iustitiam ad talem enim promissio pertinet, vt saturetur primum imputatiue, tum etiam magis magisque inhaesive. Quanta fraus adhibita sit in his peruertendis, iudicet, qui veritatem amat! At, in contritione existere & augeri fidem, quod negetur; heterodoxia turpissima est, simul patefaciens, quod, hanc thesin negans, non teneat Apologiam Aug. Confess. vtpote quæ nihil inculcat frequentius. Similiter in scitiæ debetur, si restrictio in iis; Animi emendatio, vera & quæ spiritualis, non ab intellectu, sed a voluntate incipit; eo rapitur, ac si intellectus perceptio negetur antecedere. Spiritualis autem efficacix radicem in voluntate firmari, non est, quod indigeat evolutionis vberioris, quam habetur ista apud B. Museum Introduct. in Theolog. Quam horrendum porro est, dicere errorem, quod amor actiuus hominis erga Deum sequatur & fidem & fiduciam, in quantum hæc saluifica sit; & negare, vt sequitur ibi, commercium inter fidem saluificam & caritatem! quasi vero verus amor sequi possit fidem non saluificam, vel aliunde oriri queat, quam ex fide salutari: quid enim, in quantum historica est, boni pariet? Eadem ignorantia audet negare, hominem Caritate vniri cum Christo. Licet enim vnionem incipiat fides, recipit tamen hæc statim, ad vnionem radicandam atque fundandam, Spiritus S. donum, quo Caritas Dei effunditur in cordibus. Eph. III. 17. 18. Rom. V. 5. Quam tetra caligo, si quis neget talia! Quid de eo addam, an preces ante apprehensionem Christi placeant Deo? Et quæstio hæc, & responsio, vt profertur, mihi affingitur maligne. Quæstio mea est: an preces in Conuersione, sub lucta Spiritus contra carnem, placeant Deo ante fidem? Respondeo: (i.) Si absolute
quæ-*

queratur, num preces ante fidem placere Deo possint; negandum id fore. (2.) Esse autem notandum, quod homo in Conversione & lucta spirituali positus, ad quem restricta sit quaestio, non existat talis sine fide, quamuis hæc ad maturitatem, qua *vere* (seu pleno cum effectu) *ad salutem ac libertatem Christus apprehenditur*, nondum pertingat. (3.) Sub his fidei momentis, quæ ad luctam carnis pertineant, nec dum victoriam assequantur, preces iam tum placere Deo, non sine fide & apprehensione Christi, sed propter ipsum Christum, circa quem recipiendum luctentur; licet hic recipiendi conatus, cum obstaculis prauæ rationis & carnis, adhuc conflictetur ita, vt victoria nondum completa sit. Tres hæc positiones contineri in data *Responsione*, lector inficiari nullus potest: quibus quicquid opponitur, ostendit, non tantum doctrinæ in mente, sed etiam experientiæ in conscientia, defectum valde miserabilem. Videatur de iisdem, atque aliis criminationibus, Clariss. KESLERVS, Illustris Gymnasii Gothani Conrektor; cui, quod, me incio, eas satis tute disti-cte & exquisite, refellere voluerit, optimam a CHRISTO remunerationem precor.

Ceterum animaduertis, Amice! Ecclesiam & Theologos quibus in hoc tempus furis, hominum Theologiam mentientium, Deus sanctissimus ac iustissimus reseruarit. Nihil aliud meditantur, machinantur, quam vt, vix e iuuentute Academica egressi, Doctores fideliter de Ecclesia solliciti adoriantur, insectenturque horrendis calumniis, hac via scilicet laudem Theologicam aucupantes. Nil veræ Theologiæ, secundum B. Lutheri & Librorum Symbb. mentem, amplexi, sed loco eius *terminorum Ecclesiasticorum* notitiam sterilem assequuti sunt, nescientes vim atque coherentiam illorum *Systematicam, Biblicam & Spiritualem*; quam vbi reperiunt, *stultitiam* habent, tanquam homines mere animales. 1. Cor. II. 14. *Discrimen Legis & Evangelii*, tantopere Ecclesiæ Evangelicæ a Maioribus commendatum, per fide conculcant: quæ de *Fide* ad *Sanctificationem* referuntur, impie contra *Iustificacionem* interpretantur; quæ de *Caritate* ad Evangelium pertinent, ad Legem, Evangelio oppositam, per-

peruerse transferunt: ita, *volentes docere, haud intelligunt, quæ & de quibus loquantur.* I. Tim. I. 7. Interim a conuiciis non desistunt, mentem *reprobam*, ex iudicio Rom. I. prædicto, misere contrahentes. Postquam enim semel verecundiæ fines transiire non dubitarunt, tam gnauiter sunt impudentes, vt apertos aduersus *Fidei Analogiam* errores pro veritatibus venditent, & *amando sententiam suam, Scripturæ incipient esse offensiores, quam sibi.* Augustin. de Doct. Christ. L. I. c. XXXVII. Quo spectant *Commonitorii Vincentii Lerinensis* verba c. XXXI. *Si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum excindendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia & alia iam quasi ex more & licito abdicabuntur. Porro autem singulatum partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi vt eorum pariter repudietur? Sed & e contra, si nouitia veteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cæperint, proserpat hic mos in vniuersum, necesse est, vt nihil post hac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, vbi erat ante castæ & incorruptæ sacrarium veritatis. Sed aueriat hoc a suorum mentibus nefas diuina pietas, sitque hic potius impiorum furor!*

Tibi, auditorum nostrorum decus haud postremus BELII læta conscientia do testimonium non amatæ nouitatis, verum studii, vt orthodoxiæ Veterum Theologorum & Librorum Ecclesiæ Lutherani Symbolicorum addictissimi, sic auersantis opiniones nouas. Quodque Hieronymus, ad Nepotianum, præcipit; *Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent!* hoc apud te, *reseruationibus mentalibus, non Christi, sed Diaboli artibus, ex toto eorde inimicum, residere integerrime, testor etiam atque etiam. Quod superest, coniungamus porro preces cum patria tua dilectissima, vt Deus pacis eam omni modo tueatur!* Scrib. in Vniuers. Hall. d. XIX. Augusti a. MDCCVII.

ΤΩ ΜΟΝΩ ΔΟΞΑ ΘΕΩ
ΑΜΗΝ.


01 A 6534

sb.

R

Mi. 66.

10/12





15
16
ΥΠΟΤΥΠΩΣΙΣ
ΥΠΑΙΝΟΝΤΩΝ ΛΟΓΩΝ,
SIVE,

FORMA SANORVM VERBORVM,

Quam

DIVINA ADVENTE GRATIA
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGI-
CO, DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE, & reliqua,

PRAESIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE PRORECTORE
DN. IOACH. IVSTO BREITHAVPT,
S. THEOL.D. ET PROF. P.DVC. MAGDEB. GEN. SVPER-
INTENDENTE ET CONSILIAR. ECCLESIAST. COENOBII
MAGDEBURG. PRAEPOSITO, SACRORVM HILLERSLEB. ET SEMINARIII
THEOL. DIRECTORE FACVLTI. THEOL. h. t. DECANO,

DOMINO PATRONO ET PRAECEPTORE SVO PATRIS LOCO
AETERNVM VENERANDO,

Sobritz τῶν συνθεολογούντων disputationi publice sifiter

D. XXIV. M. Augusti, Anno M DCC VII.

AVCTOR ET RESPONDENS

MATTHIAS BEL,

Otsouia Zoliensis Hungarus.

Denuo recusa M DCC XI.